DE

PERSONIS APUD ARISTOPHANEM.

TOULOUSE. — IMPRIMERIE A. CHAUVIN ET FILS, RUE MIREPOIX, 3.

DE

PERSONIS APUD ARISTOPHANEM

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

DISSERUIT

A. CROISET.

PARIS
ERNEST THORIN, ÉDITEUR
7, RUE DE MÉDICIS, 7

1873

ERRATA ET CORRIGENDA.

P. 3. l. 9,	pro	*representet*	legendum est	*repræsentet.*
P. 4, l. 1,	»	*viri*	»	*viis.*
P. 5 (in not.),	»	*versam*	»	*vertam.*
P. 13, l. 1 et 2,	»	*justi, injusti, paupertatem*	»	*Justi, Injusti, Paupertatem.*
P. 15, l. 4,	»	*recentionis*	»	*recentioris.*
P. 26, l. 18,	»	*exempla*	»	*exemplar.*
» l. 20,	»	*Neuc*	»	*neu.*
» l. 24,	»	*neu*	»	*nec.*
P. 28, l. 28,	»	*concilio*	»	*consilio.*
P. 40, l. 12,	»	*quidam*	»	*quadam.*
P. 43 (in not.),	»	σεμνῆν	»	σεμνὴν.
»	»	συνεχώρησαν σοι	»	συνεχώρησάν σοι.
»	»	παντ'	»	πάντ'
P. 51, l. 22,	»	*effinxisset*	»	*effinxisse.*
P. 52, l. 25,	»	*supersit*	»	*supersint.*
P. 56, l. 17,	»	*profecto, desunt*	»	*profecto desunt.*
P. 57, l. 19,	»	*decipit*	»	*decepit.*
P. 62, l. 5,	»	*prosectus*	»	*provectus.*
P. 66 (in not.),	»	εῦθὺς	»	εὐθὺς.

DE

PERSONIS APUD ARISTOPHANEM.

CAPUT PRIMUM.

QUEM AD FINEM TENDAT ARISTOPHANIS COMŒDIA, QUALEMQUE IDEO LOCUM PERSONAS IN ILLA OBTINERE NECESSE SIT.

Neminem profecto esse dixerimus qui non fateatur personas in gallica nostra comœdia præcipuum locum obtinere : nihil apud comicos nostros personis præstantius, nihil magis conspicuum, nihil quod legentium animos in se magis convertat. Si Racinianam illam scilicet de *Litigatoribus* comœdiam meminisse curaveris, Dandinus statim animo recursabit, et judice dignus litigator, cui nomen ex dira illa litigandi ac disputandi libidine fuit a poeta impositum. Jam vero ut ad maximum statim scenæ nostræ nomen veniamus, quem, præter Molerium, nuncupare possumus, cujus exemplo magis illus-

tretur ipsum hoc quod dicimus, in gallica nempe comœdia præ actione ipsa longe personas eminere, nec quidquam aliud esse quod poetæ simul et lectoris animum certius detineat? In illa enim comœdiâ cui *Avari* nomen inscribitur, vel in illâ cui *Misanthropi*, aut *Hypocritæ*, aut alius denique cujuslibet, quid prorsus avaro, vel hypocritâ, vel misanthropo, vel quovis alio eminentius? Imo, non satis est si misanthropum, hypocritamque et avarum in illis comœdiis primas partes obtinere dixerimus. Nam, si vera loqui oportet, rectius contendemus ipsum comœdiæ finem in hoc positum esse ut personæ illæ depingantur. Sublata persona tota simul comœdia perit. Si quidquam de misanthropi moribus et indole subtraxeris, cuncta jam concident, et communi quasi ruina turbabuntur. In illa enim comœdia, ut in cœteris fere omnibus et Molerii, et Racinii, et omnium nostrorum poetarum comœdiis, hoc ipsum ex toto opere quæritur ut mores hominum et ingenia describantur. Non tam quid avaro vel misanthropo in extrema operis parte accidat, quam quis revera sit, exquirimus. Illum intus et in cute, ut ait Flaccus, perspici volumus a poeta, ut penitus nobis quoque appareat et noscatur. Res facile negligimus, si modo mores bene descripti fuisse videantur. Nemo crimini dabit Molerio quod in *Avari* sui fine omnia feliciter componi voluerit, casu quodam adjuvante parum credibili. Viderit poeta de talibus. Quodcumque illi

collibuerit, bene esse non negabimus, dum ipsi nos, ex theatro redeuntes, insignem avaritiæ speciem, vivido scriptoris ingenio creatam expressamque, animo nostro taciti contemplemur. Quod quidem uno verbo dixerimus, si comœdiam nostram *moralem* esse contendemus (1).

Neque vero hoc comœdiæ gallicæ peculiare et proprium est ut mores hominum depingat, personasque velut in speculo representet exprimatque. Tritum prorsus ac vulgatum est Menandrum Terentiumque, et omnes vel *novæ* quæ dicitur græcarum comœdiæ vel latini theatri deinceps magistros talem instituisse consuetudinem indolis cujusque describendæ. Ab omnibus jamdudum rei litterariæ judicibus et historicis fuit recantatum hoc maxime inter *veterem novamque* comœdiam apud Græcos interesse, quod hæc demum, forum aversata, et jam a rebus publicis deterrita, in tranquilliorem arenam descenderit, seque totam ad mores hominum effingendos contulerit. De isto quidem utriusque comœdiæ discrimine nunc disserere mihi nec locus est nec animus. Hoc vero pro comperto sit, personis jam, post Aristophanis tempus, omnem niti comœdiam, neque ullum fere alium artis finem postea extitisse, nisi ut personas in clarissimam lucem adduceret.

(1) Comœdiam dico *moralem* quam gallice vocamus « *comédie de caractère.* »

Quibus autem viri atque rationibus eò comœdia pervenerit ut personis primas partes jure posset concedere, naturamque ipsam creandi arte prope superare videretur, manifestum profecto et ex præceptis magistrorum et ex ipsis poetarum exemplis facile fiet.

Mira scilicet *unitas*, ut vocabulum usurpem necessarium, et constantia in personis esse cœpit.

Quid nempe Flaccus, in illo de *Arte poetica* libro, poetas præsertim curare jubet, postquam heroem aliquem, ex medio quasi delectum, in opus suum induxerunt effingendum ?

... Servetur ad imum,

inquit,

Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.

Hoc poetæ studium, hic labor sit præcipuus, ut sibi persona constet, ut illam vitæ non dico simplicitatem (nam multorum natura est multiplex), sed constantiam certe et unitatem æmuletur. Ita persona ipsa non jam vanis illis imaginibus quas aliqua interdum ingenii libido creare gestiverit, sed viventi vere homini fiet similis, atque in spectantium memoria æternum impressa permanebit. Ea demum constantia ex verisimilibus forsan, sed alioquin parum cohærentibus moribus, illud nescio quid efficiet quod Galli optime dixerunt « *un caractère*, » elegantissimo prorsùs vocabulo omnia

illa simul includentes quæ latinis verbis longius explicari necesse fuit (1).

Nec desunt prorsus exemplaria quibus ea definitio illustretur. Ex Molerii personis quamlibet eligamus discutiendam, avarum nempe vel misanthropum. Quid avaro, quid misanthropo constantius ? Quod quidem tam clarum est ut longius in his pudeat immorari. Hoc tantum liceat animadvertere, peculiarem illam avaritiæ notam retinere Harpagona, aut tristitiæ Alcestem, vel in his maxime rebus ac temporibus in quibus minime avarus Harpagon, minimeque misanthropus Alcestes videri velint. Non enim, quia illi sibi constant, ideo una tantum libidine, uno vitio, uno affectu illorum animus occupatur. Hominum profecto generi infensissimus Alcestes viduam illam non infensis contemplatur oculis quam juventa simul et ingenio gratissimam effinxit Molerius. Neque vero durus ipse et metallo suo similis Harpagon puellam non miratur interdum vel indotatam. Quid ergo ? Num ideo sibi parum constare contendemus Alcestem et Harpagona? Imo vero, nusquam vividioribus fulget coloribus illa Harpagonis avaritia quam cum in illius animo auri cupidinem cum puellæ amore luctantem ostendit poeta ; nec quidquam

(1) Eo prope sensu *notationem* dixit M. Tullius (*ad Herenn.*, IV, 50), nisi quod hoc vocabulum gallice libentius versam « *un portrait* » quam « *un caractère.* »

esse potest quod melius demonstret unde tristis illa misanthropi severitas defluat quam quum virum illum, et animi nobilitate nulli imparem, et amoris vi pœne delirantem, turpem nihilominus repulsam pati conspicimus. Ex talibus prorsus injuriis illa tristitia conflata est; neque ullam videbimus morum inconstantiam in hoc ipso furore qui tam arcto nexu cum illo hominum contemptu atque odio conjunctus est. Egregie certe misanthropus, egregie avarus effinguntur a poeta, non dico si unam tantum illam libidinem tanquam ex medio decerptam nobis ostenderit comœdia, sed si ipsam illam affectuum varietatem, quæ hominum naturæ plerumque inest, unius cujusdam regimini servientem et constanter obedientem expresserit. Ita unius ingenii non unitas modò, sed varia quoque et multiplex natura effingitur, eoque magis comicam illam personam sibi constare jam intelligimus, quo ipsam hanc constantiam in pluribus magisque variis exemplis experimur.

Quæ cum ita sint, operæ forsan pretium videbitur, recentioribus seu Græcorum et Latinorum, seu Gallorum comœdiis prætermissis, ad antiquiorem jam Aristophanis artem reverti, et, quum omnibus compertum sit non in ipsa morum pictura *veterem* niti *comœdiam*, quærere quam attentissime quomodo illa personis usa fuerit, quantum in moribus notandis studii consumpserit, qualia denique

personarum exemplaria sequentibus ætatibus imitanda reliquerit (1).

Ac primum si quærimus quo tendat Aristophanis comœdia, haud ægre prorsus videbimus poetam in omnibus suis operibus aliquid semper unum quæsivisse, seu *Acharnenses Equitesque*, qui proprie dicuntur ad veterem comœdiam referri posse, seu contra *Plutum*, quem vulgo ad mediam annumerant, conscriberet : nempe ut aliquid demonstraret. Notum omnibus est illius mathematici verbum quem, cum Racinianam illam in theatro vidisset *Athaliam*, ad amicum prope assidentem se convertisse memorant, et seria fronte rogavisse quidnam isti versus vellent demonstrare? De Raciniana quidem tragœdia nihil absurdius dici potuit, nec defuere qui geometram adeo præposterum deriderent. Sin vero de qualibet Aristophanis comœdia idem illud rogavisset, etsi mirari fortasse posset aliquis eum adeo poeseos immemorem visum esse, nullus certe ridendi locus foret, nec possumus dubitare quin Aristophanes ipse talem interrogationem responsione dignam judicaret. Propositum aliquod, in omnibus comœdiis, dialogis explicare, argumentis confirmare, exemplis illustrare, poeta vult et nititur. Non modo nos spectare, sed etiam judicare jubet. Non varias personas variosque mores, immotus ipse et tranquillus, ante oculos nos-

(1) Vide in Append. notulam A.

tros curat exponere; sed hoc maxime studet ut rem aliquam, hominum disputationibus agitatam, ipse quoque pro civili parte excutiat, animosque nostros ad illam convertat inclinetque opinionem quam publicis privatisque rebus utilissimam existimaverit.

Pravissimo igitur judicio mihi quidem usi fuisse videntur quicumque in talibus comœdiis illam actionis unitatem et quæsiverunt et non invenerunt, cujus profecto legem his verbis præcepisse videtur Horatius :

Denique sit quod vis simplex duntaxat et unum.

Non quod illa certe unitas desit; verum, si sapimus, in illa comœdiæ parte, ut æquum est, et quæremus unitatem et inveniemus, non quæ apud Menandrum Terentiumque, sed quæ apud Aristophanem præcipua est; non in morum scilicet constantia et indolis cujusque perpetuo quasi tenore, sed in ipsa demonstratione facienda. Nam de loci et temporis unitate omnino prorsus supervacaneum est disserere. Quod vero interest, hoc pro certo habeamus ne illam quidem, ut aiunt, actionis unitatem aliud quidquam esse posse apud Aristophanem, quam demonstrationis ipsius unitatem : ad illam vero perficiendam absolvendamque omnes operis partes, ut in justo opere fieri decet, simul spectare et tendere. Quod si quis intellexerit, jam non in *Pace* aut *Equitibus* abesse unitatem deplorabit.

Nec plura de his nunc disserenda. Unitate vero jam omissa, si comœdias omnes Aristophanis eo animo evolvimus ut propositum poetæ detegamus in singulis, manifestum fiet id quod dicimus, inesse in omnibus *thesim* aliquam, ut philosophi dicunt, explicandam et demonstrandam.

In *Acharnensibus* quidem, et *Pace*, et *Lysistrata*, quid aliud poeta quam arcendum longe bellum, servandam pacem, optima tranquillitatis commoda colenda esse demonstrat ac defendit? In *Equitibus*, non depingit tantum oratores, sed vult ostendere nihil aliud assentatores istos publicos et audaces plebicolas, ut ait Livius, revera quærere, nisi quomodo bonam plebem deludant spolientque. *Vesparum* vero sensus ad illum totus finem dirigitur ut populi, qui se, per judicia, omnipotentem simulque felicissimum existimat, miseriam illustret ac servitutem. Jam si comœdias adimus quæ, propter litterarias disputationes, nugatoriæ magis quibusdam fortasse videri possunt, *Nubes* nempe, et *Ranas*, et *Thesmophoriazusas*, eamdem in iis demonstrandi rationem inveniemus : philosophiam nempe sophistarum Euripidisque poesim ea semper mente persequitur ut eas nihil aliud esse pervincat nisi vanum et inane quoddam verborum quasi tintinnabulum, quod hominibus inertiam, socordiam, litigandi studium, altercandi consuetudinem, nec quidquam boni præterea, possit in animos injicere. In *Avibus*, nullam feliciorem esse vitam quam quæ

sexcentis Athenarum legibus et impedimentis minime adstringatur; in *Ecclesiazusis* inania plerumque de reformanda civitate excogitari; in *Pluto* denique, etsi in nulla forsan ejusdem poetæ comœdia minus demonstrationis reperiatur, omnia pecuniæ parere atque inservire demonstrat Aristophanes.

Quum undecim igitur Aristophanis comœdiæ ad nos pervenerint, totidem sibi ipsum argumenta proposuisse explicanda manifestum est. Quorum quidem ea natura, ea gravitas est, ut nullum non Demosthenes aliquis aut Plutarchus usurpare potuerit, quod vel in orationem vel in morale aliquod scriptum conferret. Si ad propositum tantum operis cujusque spectamus, non est cur Aristophanem a Demosthene, aut Plutarcho, aut quovis alio qui de rebus politicis vel moralibus seu locutus in concione fuerit, seu stylo disseruerit, seponamus et secernamus. Quod alius oratione aut libro, ille comœdia explicat confirmatque. Quod alius severo, ille lascivo sermone docet. Sin vero penitus rem intueamur, latet sub ipso risu sensus gravissimus, nec prorsus impediunt sales lepidissimi quin tota comœdia ad finem suum, ad veritatem nempe illustrandam argumentumque demonstrandum, certo cursu, ut ita dicam, festinet ac decurrat. Comœdia illa non moralis sive ἠθική, sed ἀγωνιστική et παραινετική dici potest.

(1) Vide in Append., not. B.

Nunc vero, quod ad mores pertinet, omnibus plane liquet interdum moribus depingendis, interdum aliis quoque viis modisque, illam perfici posse quam comœdia requirit demonstrationem. Quod quidem quum ratio ipsa satis ostendat, multo etiam manifestius videbimus apparere, si comœdias Aristophanis rursum percurramus.

Nam, ut illam primum quasi *thesim* intueamur quam toties Aristophanes et animo volutavit et scriptis confirmavit, pacem nempe omni bello potiorem, tribus hoc in comœdiis expositum, tribusque omnino variis rationibus demonstratum invenimus. In *Acharnensibus* quidem, duo viri comparantur, Dicæopolis et Lamachus, quorum alter omnes pacis blanditias, alter omnia belli mala per totam comœdiam experitur. In *Pace*, jam non duos viros, sed duo potius numina inter se videmus comparata, Bellum nempe et Pacem ipsam : dum Bellum igitur græcas civitates in mortario conquassatas ac contritas, ducibus ipsis usa tanquam pistillis, opprimit destruitque, Pax contra blandissima in Trygæi domum nuptias et convivia cum geniali animorum festivitate reducit. Lysistrata denique tormenta illa proponit audientibus quibus digni videntur esse quicumque, insano belli amore delirantes, optatissimam pacis instaurationem feminarum lacrymis condonare noluerunt.

In reliquis etiam comœdiis Aristophanis talem quamdam demonstrandi varietatem reperire est.

Hic (1) ipsa sophistarum deliramenta explicantur, et quæ inde mala, si talibus vulgo nugis homines in quotidiano vitæ usu ducerentur, essent proventura, disquirit Aristophanes. Illic (2) disputatione prope scholastica, neque ideo tamen minus lepida, Eschyli excellentia confirmatur. Alibi (3) ridiculis ostenditur exemplis Euripideæ illius calliditatis vanitas, qua solet in tragœdiis personas suas, maximis circumventas periculis, mirifice expedire. Quid referam aut depictam illam in *Avibus* civitatem, aut narratam in *Vespis* Philocleonis, in *Equitibus* vero Demi, miseriam primo, ac deinde, Cleonis imperio tandem rejecto, perfectam felicitatem? In *Pluto* denique et in *Feminarum concione*, repetitis exemplis explicat Aristophanes quæ bona malave vel ex mutatis legibus vel ex divitiis aliter inter homines distributis oritura sint.

Aliud vero quoddam est quod in omnibus fere Aristophanis comœdiis invenitur, et maximi ad demonstrationem instituendam momenti est. Scenam illam nempe dico, et amplitudine, et gravitate, et loco in plerisque illis comœdiis præcipuam, in qua duæ personæ de hoc ipso disputant quod per totam comœdiam ambigitur. Ne omnes ejusmodi dialogos memorem, quis non habet in animo vel il-

(1) In *Nubibus*.
(2) In *Ranis*.
(3) In *Thesmoph*.

lum justi et injusti in *Nubibus* dialogum, vel illum Chremylum inter et paupertatem in *Pluto* disputationem? Utraque longa, seria, gravis, omni disputandi arte egregia, totius denique operis vere præcipua scena dici potest. Talem profecto scenam in plerisque Aristophanis comœdiis invenimus. In illa maxime nititur demonstratio. Hæc priscæ illius comœdiæ quasi propria est. Non quod et in theatro nostro, sive tragœdias sive comœdias respexeris, non scena plerumque aliqua in ipso totius operis quasi culmine posita esse videatur, qua cætera illustrentur : ita prorsus et in Cornelii *Horatio*, et in Racinii *Britannico*, et in Molerii *Misanthropo*, ne plura memorem, Horatium cum Curiatio, et Neronem cum Narcisso, et Alcestem cum Celimena dialogum habentes gravissimum reperias, qui totius fabulæ quasi succum contineat exprimatque. Hac vero ipsa exteriori, ut ita dicam, similitudine melius ostenditur quam penitus inter se differant et Aristophanis et poetarum nostrorum dramata. Nam cum, apud Racinium Moleriumque, personarum vel vividis affectibus vel ridiculis moribus scenæ illæ præcipuæ impleantur, apud Aristophanem contra nihil altius eminere comperimus quam ipsam illam certi propositi discussionem quæ scholam prorsus aliquam, nisi sermo jocis plerumque distinctus sit, non dedecere videatur. Ita ut in hoc ipso maxime manifestum fiat quam vere comœdia nostra ἠθική, Aristophanis vero comœdia ἀγωνιστική dici possit.

Ex omnibus igitur illis quæ supra disseruimus, pauca jam colligenda sunt, quæ nobis longius procedentibus Aristophanisque personas attente scrutantibus faciliorem certioremque viam sunt effectura.

Hoc primum igitur pro comperto sit : demonstrationem in Aristophanis comœdiis, quum multis aliis rationibus, tum duabus præsertim effici solere; quarum prior quidem ex dialogo constat prope scholastico, inter personas duas, easdemque nonnunquam omnino fictitias, habito; altera autem ex vivida eventuum illorum pictura quos ex aliquo rerum statu oriri necesse sit.

Unde prorsus sequitur personarum mores fortuito tantum, ut ita dicam, depingi posse, prout ipsa tulerit demonstrationis necessitas totiusque comœdiæ contextus. Et mox quidem videbimus quæ personarum varietas apud Aristophanem inveniatur, quid conferant ad fabulam, quem in comœdia locum obtineant, quomodo denique illarum mores depingantur. Hoc vero certe jam novimus, quæcumque causæ esse possint quæ morum picturam in singulis quibusque comœdiis inesse interdum jubeant, eas tamen causas ex ipsa demonstrationis utilitate pendere, neque aliter induci posse picturam illam quam si rei omnium præcipuæ, nempe demonstrando poetæ proposito, aut quodam modo proderit, aut saltem non nocebit.

Inde etiam interdum fieri poterit ut, vel in per-

sonis illis quæ maxime sibi constantes et vere propriis moribus proprioque ingenio eminentes videbuntur, aliquid forsan inesse reperiamus quod cum comœdiæ recentionis ingenio ac legibus parum consentaneum sit, ex illis vero proveniat veteris comœdiæ conditionibus quas satis jam explicuimus, ex necessitate scilicet propositum potius demonstrandi quam personas sibi omnino constantes effingendi. Quum enim in illa comœdia præcipua sit demonstratio, non modo non peccabit poeta si personas minus quam ipsi nos velimus secum convenire, ita poscente fine ipso operis, jusserit; sed etiam egregie summam artis legem et intellexerit et servaverit, qui *ponere totum*, ut ait Horatius, id est comœdiam eo perducere quo sibi proposuit, multo maluerit quam personæ alicujus, quæ in toto opere secundas partes agat, unitatem conservare. Viam scilicet proposito termino assequendo, singulaque ornamenta totius ædificii pulchritudini sapienter posthabuerit.

Quum igitur illa summatim ex celeri rerum comprehensione collegerimus, restat ut propius nunc ipsas Aristophanis personas intuentes, ea exemplis confirmemus quæ breviter expressimus, et observatione diligenti singula illustremus.

CAPUT SECUNDUM.

PLERARUMQUE IN ARISTOPHANIS COMŒDIIS PERSONARUM MORES ET INGENIA LEVISSIMA TANTUM DESCRIPTIONE QUASI ADUMBRARI.

Si quis Aristophanis comœdias perlegat, hoc statim animadvertet, maxime distincta separataque personarum genera in illis posse inveniri, prout cujusque mores et ingenium magis minusve accurate, aut vivide, aut præsertim constanter depicta sint. Quum igitur nonnullæ sint personæ quarum ita mores depicti fuerint ut vel cum recentioris comœdiæ personis haud immerito valeant comparari, de cæteris leviter tantum et summatim disseremus et potius unumquodque genus notabimus quam singula cujusque personæ vitia aut singulas virtutes memorabimus.

Primum quoddam scilicet personarum genus est a Molerii personis maxime distans, vix celeri calamo quasi delineatum, illaque demonstrandi necessitate quam diximus præcipue extenuatum. Multæ enim apud Aristophanem personæ sunt quæ

non vita, ut ita dicam, propria et peculiari vivunt, sed generali tantum imagine aliquam hominum speciem significant oculisque nostris subjiciunt quam, propter ipsam illam rem quæ geritur in comœdia, effingi necesse est. Non tam igitur per se nos delectant animumque nostrum in se convertunt, quam ad demonstrandam illam rem in qua quidem illustranda totum opus consumitur, aliquid conferunt utilitatis.

Nec deest profecto in *Acharnensium* comœdia tale personarum genus. Nam quid aliud, quæso, legatus ille mendax qui Pseudartabam in populi conspectum trahit frustra resistentem (v. 98), quam nonnullorum legatorum impudentiam effrenatamque mentiendi libidinem significat? Non hic homo unus, a cæteris et ingenio, et virtutibus, et vitiis distinctus, dici potest. Nihil aliud, ut ita dicam, legatus ille quam legati vestimentum, facies, persona. Non hic mores et ingenium, non virilis animus, non multiplices affectus, non natura denique subest. Nihil oculis nostris subjectum est præter simplicissimam quamdam vitii unius speciem, qua quidem nunc poetæ, ad populi stultitiam demonstrandam, revera opus est. Neque multa prorsus verba legatus loquitur : apparet enim tantum, et postea evanescit; quo manifestius ostenditur nihil aliud ab illo nisi brevissimum simul simplicissimumque munus poetam exposcere. Verum multo clarius hujus rei exemplum vel in *Pluto*, vel in

Pace, vel in *Avibus* invenire est. Nam in his quidem comœdiis, non una tantum aut altera persona est quæ tale munus impleat; sed multæ vicissim in scenam inducuntur quæ suo quæque officio, velut ex ordine, defungantur. Singularum igitur naturam officiumque ipsa repetitio, ut fieri solet, clarius apparere sinit. Ita nempe tres illæ comædiæ sunt constitutæ ut, postquam Plutus videre iterum cœpit, Pacemque Trygæus ex antro suo extraxit, et Avium civitatem duo illi Athenienses condiderunt, quæ rerum omnium mutatio jam facta fuerit et inde sit secutura ostendere debeat Aristophanes. Quod quidem ratione explicat simplicissima. Nam illos omnes qui præcedente rerum statu quodam modo affecti erant, in scenam deinceps prodire jubet, novosque sensus suos palam profiteri. Jam, ne omnia longius percurramus, *Avium* comœdiam considerare satis erit. Ut primum enim sacerdos pro urbe recens condita preces Diis obtulit sacraque omnia rite perfecit, ecce ardelionum cohors irruit, cupida jam novam prædam invadendi (v. 903). Proruit poeta ante omnes, jam dives hymnis et carminibus, jam paratus ad canendum et auri fame allectus. Poeta vixdum expulso, adest jam aruspex, cui statim succedunt et geometra, et venditor plebiscitorum, et sociorum præfectus, et parricida, et sycophanta (1), omnes denique illi quibus ter-

(1) Vide in Append., not. C.

restrem quidem civitatem abundare, Nephelococcygiam vero vacare affirmat Aristophanes. Igitur mirum in modum fugantur invasores a Pisthetæro, qui, verbis primum conviciisque usus, mox ad baculi usum descendere non veretur. Nihil tota illa scena vividius; nihil quod risum certius moveat. Cui vero non liquet in omnibus illis personis, tanta cum celeritate scenam quasi transcurrentibus, explicitam morum descriptionem non posse inveniri? Non poeta enim unus, aut geometra, aut quivis alius depingitur; sed poeseos, et geometriæ, et multarum præterea artium inanitas ostenditur. Res depinguntur, non homines. Demonstrationem efficit poeta, non mores depingit.

Secundum personarum genus est proprio magis ingenio notabilium, quarum vero pictura non ita omnibus partibus absoluta est ut cum præcipuis theatri nostri personis comparari possint. Adumbratas tantum figuras illas, non perfectas picturas dixeris. Homines prorsus hic effinguntur, nec jam, ut supra, aliquæ hominum conditiones; vera hominum natura, non ars aliqua aut officium, hic apparet in comœdia. Sed omnia levissima sunt, et currente manu tantum inchoata. Et plurimæ quidem ejusmodi personæ apud Aristophanem possunt enumerari. Sed, ut leviter poeta illas attigit, ita nobis satis erit singula summatim percurrere.

A Diis igitur principium : Bacchus scilicet Herculesque, haud semel in scenam ab Aristophane in-

ducti, huic personarum generi merito adscribentur. Cæterorum quidem Deorum adeo rara simul brevisque mentio incidit, ut quidquam temporis in illis observandis consumere omnino supervacaneum esse videatur. Bacchus vero et Hercules multo majorem locum obtinuere. Quod quidem nullo modo mirum videbitur si meminerimus quales illos Deos, quamque ad movendum risum idoneos, popularis opinio jamdudum effinxisset. Bacchus enim ille (quem orphici tanta cum pietate verebantur) lascivus quidam et vinosus deus vulgo habebatur, quocum jocari libere, vel omissa interdum verecundia, non magnum scelus esset. In Bacchum, quippe qui potoribus præesset, nonnulla potorum vitia transferebånt. Nec minus Herculi, corporis viribus eximio, violentos et inconcinnos athletarum mores addicebant. Aristophani igitur Bacchum et Herculem popularis religio jam, ut ita dicam, comœdiæ aptos et in scenam ingredi paratos offerebat. Inde illæ Bacchi in *Ranis*, Herculis in *Avibus* lepidissimæ personæ. Bacchus pusillo animo, Hercules gula insignis est. Sive igitur Bacchus in illo *Ranarum* proœmio socordiam suam, sumpto Herculis vestimento, et vincere et dissimulare simul conatur, seu Hercules, in *Avibus*, legatus a Jove missus cum Neptuno de imperio ab avibus repetendo, truculentos primum oculos circa se ferens, mox, cibis allectus, reprehendentem frustra Neptunum deserit Jovemque gulæ posthabet, nemo

non fatebitur et lepidissima esse hæc omnia, et spirare utramque personam. Nec tamen ideo contendemus in talibus Bacchi Herculisque picturis absolutam illam morum descriptionem inveniri quam quærimus. Omnibus enim manifestum est quam imperfecta sit, ut ita dicam, pictura illa quæ in una aut altera tantum ingenii alicujus facie effingenda contineatur, neque ampliorem unica scena locum in tota comœdia obtineat.

Servi quoque similiter depinguntur, vivide scilicet, sed brevibus nimium verbis. Ex Aristophanis nempe comœdiis aliqua servorum effigies exprimi potest quæ celeberrimos illos recentioris comœdiæ famulos quodammodo prænuntiet. In Xanthia profecto, et Sosia, et Carione, mobile jam et subtile ingenium, invicta dicacitas, protervi mores, impudens animus, insignis ignavia, omnia denique servilis naturæ flagitia reperiuntur. Bacchi servus, in *Ranarum* comœdia, cum Æaco (qui divinus ipse Jovis servus dici potest) de conditione sua disserens, omnes excellentis servi virtutes lepidissime enumerat : hero nempe insidiari, verberanti maledicere, ore procaci incedere, dominos secreta loquentes clam auscultare, res denique domesticas palam vulgare inter externos, eximias virtutes maximeque servis decoras dictitat. Ejus vero mores ex ipsa comœdia si conjicimus, huic virtutum numero duas etiam alias addemus : pigritiam scilicet infinitam, animumque mendacissimum.

Xanthias quoque, in *Vespis*, subtilissimo acumine Bdelycleonem adjuvat (Moleriano alicui famulo similis) (1) in illo contra patrem semper renovato certamine. Carion vero Æsculapium, cum summa et dicendi et agendi libertate, palam ridet servili more et impudentia. Nihil illo dicacius; etiam cum vapulat, hostem petit dictis mordacibus; vitiis profecto omnibus ornatissimus est; cæterum, ut dixit de suo famulo poeta noster elegantissimus Clemens Maro, « optimæ puer indolis » dicetur haud immerito. Jam vero quis non meminit, in illa theatri nostri comœdia, Erastum et Renatum immemoris puellæ fugam dissimillimo sermone una deplorantes? Eleganter nempe dominus, et cum ingenua quadam dignitate, servus autem rudibus crassisque verbis, ut rudem decet naturam, dolorem suum exprimit. Jucunda est ipsa sermonis dissimilitudo, quæ animorum diversitatem ostendit. Et similes prorsus dialogi similique arte lepidissimi apud Aristophanem non absunt. In Pluto nempe et in aliis comœdiis tali expressit arte Aristophanes servilem illam rusticitatem.

(1) Molerium sæpius quam Menandrum cum Aristophane conferre libuit, multarum rerum causa : cum nostra enim comœdia novæ Græcorum comœdiæ similior quam hæc ipsa Aristophaneæ esse videatur, potius habui a Molerio exemplaria usurpare omnibus notissima, quam Menandri fabulas parum cognitas temerariis forsan conjecturis restituere. Ita enim proprium Aristophanis ingenium certius simul clariusque definiri posse mihi visum est.

Quid ergo abest quominus illæ morum picturæ summam artis excellentiam expleant? Idem nempe illud quod in Diis nuper desiderabamus, ut sparsa scilicet unius imaginis elementa in unum congregata coeant, personamque aliquam omni parte absolutam efficiant.

Pari quoque lepore adumbravit Aristophanes rudem Acharnensium naturam, Equitum prudentiam, Vesparum ætatem imbecillam balbamque linguam. Nec minus profecto placent obliqua lividus invidia Blepsidemus, et amator præliorum Lamachus et nebulo Phidippides, et inimicus demagogis Bdelycleon. Quum vero illos omnes secundas in comœdia partes agere voluerit Aristophanes (nulla enim alia causa illos depinxit quam ut præcipuas comœdiæ personas per ipsam morum diversitatem magis notabiles efficeret), nullo modo mirari nos oportet quod eamdem semper in illis depingendis brevitatem inesse videamus.

Diis igitur, servisque et personis illis omissis, ad personas tandem aliquas veniendum in comœdia quidem, ut videtur, omnino præcipuas, ita vero, propter illam aliquid demonstrandi voluntatem, poetæ proposito inservientes, ut vix in his aliqua Molerianæ artis vestigia possint inveniri.

Cujus quidem generis optima video exemplaria in *Nubibus Ranisque*, ubi Socratem et Euripidem Aristophanes lacessit deridetque. In *Thesmophoriazusis* quoque tragicum poetam comicus aggreditur,

traditque populo deridendum. Quum vero et Socrates in *Nubibus* et Euripides in duabus comœdiis præcipuum locum obtineant, nemo tamen contenderit utriusque ingenium, mores, naturam Aristophanem depinxisse. Non quod ea omnia falsis coloribus depicta fuisse dicam; quod nunc ne in quæstionem quidem venire velim. Hoc vero contendo, Socratem et Euripidem, aut illos denique sophistas quos Aristophanes sub illorum nominibus in scenam induxit, multo minus esse viventibus similes, quam Carionem aut Herculem. Quid enim? An hominem illum vivide depictum esse censebimus cujus non mores, non indolem, non affectus, sed philosophica systemata poeticamve artem cognoverimus? Nihil Artibus omnibus frigidius est, nihil quod minus vivum humanumque dici possit. Quum Aristophanes igitur et Socratis dialecticam et Euripidis metaphoras acutissimis facetiis insequitur, de rebus quidem dimicat gravissimis, comœdiam vero a morali nostra comœdia maxime abhorrentem composuit. Non hominem prorsus aliquem, suis vitiis virtutibusque singularem, depinxit irrisitque, sed inania systematum simulacra mira quadam arte ex vanis nebularum regionibus quasi evocavit, quæ hominum risui simul atque odio exponeret. Socratis igitur Euripidisque personas ideo inter plures alias ejusmodi personas potissimum elegimus observandas, quia illarum quidem utraque, propter celeberrimum

et magni philosophi et magni poetæ nomen, quibusdam forsan aptissima fuisse videri potest quæ vivide pingeretur. Revera autem nihil aliud Socrates et Euripides in Aristophanis comœdiis videntur esse quam mera nomina, sub quorum titulo errores quosdam insectatus est.* Neve quis objiciat mihi *Trissotinum* illum cujus versus Molerius derisit. Vivit enim profecto Trissotinus. Cur vero? Quia videlicet non poeta tantum mediocris est, sed beatissimam quoque stultitiam cum largo superboque risu præ se gerit. In Aristophanis vero et Euripide et Socrate nihil tale inest. Illi scilicet et Pluto, et Paupertati, et Justo Injustoque similes sunt, quas quidem nemo vivas esse personas affirmabit. Non Pauperis enim unius viri vel divitis mores voluit effingere Aristophanes, sed paupertatem ipsam et divitias inter se ita comparare ut ex ipsa illa comparatione colligere possemus utrum amplecti melius esset. Non homines denique sunt personæ omnes illæ, sed rationes et argumenta, aut potius fictitiæ quædam figuræ, ex rationibus tantum et argumentis, demonstrandi causa, quasi conflatæ.

Præcipuas quoque partes et in *Pace* Trygæus, et in *Avibus* Evelpides ac Pisthetœrus, et in *Pluto* Chremylus sine dubio obtinent. Quid tamen personis illis levius adumbratum? Non quod illi profecto, ut Socrates et Euripides, meræ systematum imagines dici possint. Hoc tamen illis cum Socrate et Euripide commune est, quod ideo non depin-

guntur eorum mores quia festinat poeta ad finem suum assequendum, ad demonstrandam nempe thesim illam quam sibi proposuit. Ut pecuniæ nempe potentiam, ut Nephelococcygiæ libertatem, ut Pacis delicias ostendat, nec Chremyli, nec Trygæi, nec Pisthetæri ingenium indolemque explicet necesse est. Illis igitur in comœdia quasi instrumentis utitur machinisque ad mutandam scenæ speciem idoneis, per se autem minime spectandis.

Jam vero, ut ad majora veniamus, Dicæopolis ipse in *Acharnensibus*, quamvis multo vividius depictus sit, procul abest sine dubio ab illa naturæ varietate simul et constantia. Quorsum enim tendit tota Acharnensium comœdia? ad id scilicet ut Lamachum quidem bello infelicem, Dicæopolim vero pace beatissimum componat comparetque. Tota igitur Dicæopolis vita nihil jam aliud est nisi quoddam quasi exempla omnis illius felicitatis omniumque deliciarum quas ex pace defluere contendit Aristophanes. Neuc quis roget utrum Dicæopolim finxerit durum an misericordem, prodigum an avarum, publicis rebus amicum an inimicum; de his enim non agitur. Pace sua, induciis suis fruitur Dicæopolis, neu quidquam aliud in eo inesse voluit Aristophanes quam illam ipsam emptæ pacis lætitiam ac voluptatem. At enim, dicet aliquis, agricolam ad se venientem auxiliumque implorantem cum duris verbis repellit; puellam vero nuperrime nuptam, quæ ipsum rogat ut inducias suas

cum marito communicet, clementer exaudit. Quid igitur? An voluit poeta Dicæopolim nobis ostendere nunc durum, nunc clementem? Minime prorsus. Cur agricolam repellat, ea tantum causa est ut exemplo insigni agricolæ stultitia simul et miseria appareat, qui Lamacho stolide favit; puella vero in scenam ideo potissimum inducitur ut sales aliquos subrusticos, illa data occasione, spectantibus offerat Aristophanes. De indole vero et moribus hominis, iterum dicam, poeta nihil omnino curat.

Nondum igitur personam illam invenimus quam quærimus, omnino scilicet absolutam, sibi constantem, natura simul una et multiplici præditam. Quam multæ ejusmodi personæ apud Aristophanem reperiri possint, sequentibus paginis disquiremus.

CAPUT TERTIUM.

DE STREPSIADE ET LYSISTRATA.

Postquam et ratione et exemplis ostendimus rarissimas apud Aristophanem personas inveniri posse quarum natura funditus et explicite, secundum posterioris artis præcepta et exempla, depicta sit, restat ut paucas tamen figuras ex omnibus illis comœdiis quasi eminere demonstremus, vividam illam perfectamque simul humanæ naturæ imaginem referentes quam et Horatius in personis inesse jussit, et omnes post Menandrum comici certatim effingere conati sunt. Has igitur perfectas, ut ita dicam, personas dum considerabimus, occurret statim et Molerii et Racinii in memoriam mentemque nostram multiplex quædam recordatio. Non quod Aristophanem prorsus in personis illis effingendis semper auctores nostri sint imitati : sed ea theatri nostri in moribus describendis creandisque personis ubertas est, ut sæpe cum Aristophane in vasta illa humanæ naturæ quasi provincia explorandа, seu casu, seu concilio, convenerint. Quoties igitur ex nobis similitudo fiet obvia, quæ simi-

lia visa fuerint componemus, rati nullo modo veram utriusque et poetæ et artis naturam melius posse patefieri.

Ex omnibus igitur Aristophanis comœdiis quinque personas sumus excerpturi : Strepsiadem nempe, et Lysistratam, et Philocleonem, et Demum, et Cleonem. Quarum duas quidem priores (addita Praxagora, quæ cum Lysistrata una prope persona est) hoc statim capite, tres vero reliquas insequente considerabimus.

Nec vana forsan videbitur ea distinctio, si hoc ex studiis nostris fore manifestum jam nunc dixerimus : duas nempe illas et vivas, et naturæ similes et optimas quidem esse ; tres vero has reliquas et magnitudine, et gravitate, et dignitate summum artis culmen prope attingere. Quid quod duæ priores, non dico inferiorem in comœdia locum obtinent, sed minime saltem, trium cæterarum instar, totum comœdiæ onus sustinent, neque ab ipso poetæ proposito videntur separari omnino non posse.

I. — *Strepsiades.*

Ac primum Strepsiadem in *Nubibus* non primas omnino partes agere, neque in illius maxime moribus effingendis totam versari comœdiam satis apparet. Huc potissimum tendit comœdia ut sophistarum detestandæ opiniones revelentur, infandaque

morum corruptio, quam ex illis oriri necesse sit, detegatur. Hæc vero cum ita sint, Strepsiades nihilominus vera vivaque persona est, omni parte absoluta, sibique semper constans, et plane digna quæ cum admirabili illa theatri nostri figura conferatur quam Molerius *Jordanii* nomine fecit immortalem.

Quo igitur in statu, si omnia poeseos ornamenta circumcidamus, Strepsiades revera versatur? Homo nempe ille est, a prodigo filio suis divitiis prope spoliatus, ideoque sophistarum scelestam opem requirere paratus, ne debita persolvat creditoribus.

Hæc rerum conditio, hic status est. Quomodo vero ex simplicissimis illis quasi elementis complexam vivamque hominis naturam poeta est effecturus?

Strepsiadem nempe rusticum, agrestemque, divitis vero feminæ maritum, effinxit. Nec mora : ex ipsa illa Strepsiadis incompta rusticitate cætera simul defluunt. Rusticis animis nihil, omnibus temporibus, lucri avidius esse satis profecto constat. Ut mus ille Horatianus,

Asper, et attentus quæsitis

optime dici potest. Quod pulchrum, quod elegans, parum curat. Avaritia insignis est. Exiguas opes, formicæ instar, cum indefessa sedulitate paulatim

accumulat, donec dives tandem fiat. Pecuniam suam non propter veram tantum utilitatem, sed propter tot consumptos in illa paulatim acquirenda labores sudoresque, amore quodam prosequitur ac toto diligit animo. Talis profecto nobis ostenditur Strepsiades. Delicatam uxoris luxuriam sine fine lamentatur, qui semper pane vixit et caseo. Filium præsertim, adeo a majoribus degenerem, diis infernis prope vovet. Ecce vivit jam persona ; Strepsiadis mores, affectus, animum agnoscimus : in Moleriano quoque illo Georgio Dandino aliquid tale inesse meminimus.

Quid postea? qui divitias suas tanto cum dolore videt a filio et uxore imminutas, nullas certe vias ac rationes repudiabit quibus illas se recuperare posse speret. Cum vero animo rudis, ingenii expers, virtutis denique plane nescius sit, multa illum et ludicra et ridicula facere vel invitum necesse est. Ea prorsus idonea sophistis præda objicitur. Magicas etiam artes, data occasione, libenter imploraret. Nihil tam absurdum, tam stultum est, modo multa magnaque promittat, quod non avidissimo animo amplectatur, creditores repellendi causa. Sophistarum artem non quia revera ad mendacia defendenda optima est, sed quia talem ipsa se dictitat, statim affectat, eo magis ridiculus quod ne illam quidem doctrinam, licet absurdissimam, aut intelligere valet aut memoria retinere. Ita omnia Strepsiadis vitia secum optime

constant cohærentque. Quidquid ridicule aut loquitur aut facit ex uno eodemque fonte, ex ipsa nempe illius natura animoque, quasi defluit. Nihil in tota ejus descriptione fortuitum est. Pœne nihil occurrit quod ex libera magis poetæ inventione quam ex naturali depictæ indolis unitate ortum videatur : ac nescio an ullam personam theatrum nostrum effinxerit quæ viventi similior sit.

Hæc igitur de « summa operis, » ut ait Horatius. Jam vero si ad singula personæ lineamenta descendimus, quid jucundius quam mira illa ubertas ac diversitas quam in variis hominis affectibus explicandis cum perpetuo quodam lepore profudit Aristophanes ? Duas tantum scenas hic memorare liceat, et paulo attentius perpendere, quibus tandem plane ostendatur quæ picturæ illius veritas sit.

Sicut apud Molerium Jordanius, postquam eleganter vivere et optimatum mores æmulari destinatum habet in animo, philosophiæ magistrum statim arcessit a quo liberalem doctrinam dicendique elegantias doceatur, ita Strepsiades, ubi sophistas audiit et dicendi et præsertim mentiendi optimos magistros esse, festinat ad Socratem. Hinc dialogus ille incipit omni comicæ inventionis festivitate jucundus, qui inter vetulum jam rusticumque discipulum et magistrum cunctis nebularum artibus ac disciplinis munitissimum continuatur (1). Jor-

(1) V. 219-509.

danium nominavimus : non quod Molerianus ille heros, Strepsiadis instar, amissas doleat divitias, aut doctrinam suæ avaritiæ inservire jubeat. Alia prorsus conditio, alius rerum status est. Eadem vero, in utraque comœdia, hominis imbecillitas, ignorantia, vanitas ; similis discendi amor, similisque ratio, vel potius rationis omnis indigentia. Rudis utraque et radicitus plebeia natura, nec quæ ad excelsiora generoso quodam elegantis culturæ desiderio, sed vili vulgarique penitus cupidine impulsa tendat. Quod quidem jam apparebit : nunc ad Strepsiadem revertendum.

In illo igitur lepidissimo cum Socrate dialogo, ne singula majori sedulitate discutiamus quam necesse forsan videatur, quonam modo, quibus potissimum signis intima illa totius personæ natura, ex qua viva demum indoles efficitur, avida nempe et crassa rusticitas, sese, ut ita dicam, foras producit ostenditque ?

Interroganti Socrati quam doctrinæ partem potissimum discere velit, « illam profecto, » respondet Strepsiades, « qua quis doceatur non reddere id quod debeat (1). » Egregium prorsus responsum !

(1) Ἀλλά με δίδαξον τὸν ἕτερον τοῖν σοῖν λόγοιν,
Τὸν μηδὲν ἀποδίδοντα.

V. 244-245.

Lectorem semel monitum statim velim me, Dindorfianam secutum recensionem, græca verba latine ipsum vertisse, nec Brunckiana interpretatione aliter usum esse quam ut meam, si quando dubius hærerem, ad meliorem formam adducerem.

Paucioribus verbis majorem stoliditatis simul et avaritiæ vim, quæ quidem tota Strepsiadis natura est, nemo poterat includere. Nec vero propositum suum vel minimo temporis spatio obliviscitur. Nequidquam Socrates omnia deinceps mendacis artis miracula et prestigias homini ostentat venditatque. Nihil aliud scientia est, judice Strepsiade, quam magica nescio qua mentiendi et furandi potestas, omnibus hominum artibus ideo superior quo minus a plerisque cognita sit, cæterum quæ cum veritate disquirenda nihil omnino commune habeat. Non quod Socraticis illis facetiis de vocabulorum generibus cæterisque ejusdem speciei cavillationibus non admodum delectetur; ingenti prorsus admiratione erga hominem, ut videtur, omnis doctrinæ peritissimum, percellitur (v. 379). Nec dedignatur, rustici more, cavillari et ipse cum Socrate, non sine magna Socratis ira, qui pro serio homine haberi vult ab omnibus. Gaudet igitur primum Strepsiades nugis illis omnibus litterariis : mox tamen, propositi usque memor, viam æquo longiorem existimat; grammaticam jam respuit : finem statim, nempe mentiendi artem, votis capessit (v. 433). Quumque tandem videt se parum in ea doctrina quam quærit per tot discursus profecisse, scholæ ipse valedicit, filium juniorem, ideoque ad doctrinam omnem ebibendam multo, ut credit, aptiorem, eodem jam missurus.

Hæc omnia optima sunt. Ita et Jordanius, arces-

sito philosophiæ magistro, quem quidem non aliquid discendi causa, sed ideo tantum ut aliquid didicisse videretur, ad se arcessivit, eo maxime tempore se liberalium artium amantissimum declarat quo satis omnibus verbis ostendit se ab illis omnino alienam vitam hactenus duxisse. Quandiu quidem magister de litterarum natura variisque oris in pronuntiando flexionibus disserit, delectatur Jordanius puerili quodam more, et miratur etiam virum tanta eruditione conspicuum. Sed in illo, ut in pueris, ut in ipso Strepsiade, non diuturna esse potest talis ingenii contentio. Igitur, talium dissertationum brevi pertæsus, ad suum quoque propositum, Strepsiadis instar, delirus senex sponte redit: non ad mentiendi prorsus artem conquirendam (alia enim Jordanio delirii species insita est), sed ad illam scribendi elegantiam obtinendam qua pulchræ Dorimenæ animum tangat molliatque. Judice Jordanio, in epistola quadam amatoria conscribenda tota doctrina consistit; judice vero Strepsiade, in habenda mendaci oratione. Suum utrique proprium et peculiare insaniæ genus inest ; insania vero par in utroque.

In illo quoque Strepsiadis et Phidippidis dialogo (v. 814-874) quo filium pater doctrina recens acquisita stupefacere aggreditur, eadem Strepsiadis natura, eademque cum Moleriana persona similitudo apparet. Quæ prope nescit, ea præ se ferre, et parta laude frui, jam cupit Strepsiades : tanto

magis ridiculus quod, quantam stultitiam ostentet, ne suspicatur quidem. Cum veram igitur scientiæ naturam omnino nesciat, neque illam a magicis, ut diximus, artibus dissimilem esse plane videat, jam factus ex discipulo doctor, vanisque argumentorum quasi fragmentis ac ruderibus confisus, in pugnam audacter prodit, omniaque, ut quidem existimat, jamjam victor eversurus est. Jovem solio detrudit, ventosque in Olympum collocat; de vocabulorum generibus disputat pertinaciter, sua tanta doctrina superbissimus. Quidquid in vetulum, ut ita dicam, stolidumque cerebrum nuper infudit Socrates, illud rursus ipse quasi evomit, multum prorsus admirante Phidippide, sed non eo sensu quo voluerat senex imbecillus. Quis non, illa legens, Jordanium simul meminerit, primis pugnandi præceptis vixdum imbutum, famulamque statim, quasi totius artis compos sit, gladio persequentem, donec ridens illa validissimis ictibus (licet parum arti convenientibus) fugientem jam et querentem dominum insectetur? Similis error utriusque, similisque stultitia. Doctrinam enim artemque totam carmine quodam magico paucisque verbis contineri crediderunt.

Nescio an Aristophanes, cum Strepsiadem ostendit contrà creditores feliciter disputantem, sophisticæ potius artis nequitiam ostendere quam personæ ipsius mores, sicut cœperat, effingere voluerit (v. 1214-1302). Cæterum, quidquid id est, nihil

fine ipso comœdiæ lepidius, nihil quod melius in tota Strepsiadis natura conveniat. Sophistarum nempe domum incendio destruit. Ita prorsus agere æquum erat hominem et natura rudem, et tanto magis nunc iratum, postquam a sophistis delusum se sentit, quo stultiorem erga illos admirationem magisque cœcam fidem animo conceperat.

Quid plura? Strepsiadis personam, si recte judicemus, inter perfectissimas omnium comœdiarum personas audebimus numerare. An igitur inter Aristophanis Moleriique artem, in tali persona concipienda, nihil interest? Minime profecto. Nam Strepsiades, iterum dicam, secundas partes in comœdia agit. Non de moribus illius depingendis, sed de Socrate potissimum refellendo curat poeta. Vel quum mores depingit, alium plerumque finem, ut aliquid nempe demonstret, operi suo assignat. Hoc vero et Strepsiadi et nobis feliciter in *Nubibus* evenit, demonstrationem illam quæ in omnibus Aristophanis comœdiis requirenda est personæ moribus explicite depingendis non offecisse. Vivit Strepsiades, ejusque vultus in memoria nostra juxta pulcherrimas Molerii effigies semper insidebit.

II. — *Lysistrata.*

De Lysistrata idem primo quod de Strepsiade dicendum est, aliud nempe propositum habuisse

poetam in animo cum comœdiam illius nomine designatam conscriberet, quam ut illius præsertim mores ingeniumque depingeret. Non tam qualis sit ipsa Lysistrata quam quid defendat, quid requirat, quid velit, poeta voluit nobis ostendere. Hoc etiam, quoniam Strepsiadem memoravimus, addere non erit supervacaneum, Lysistratæ personam, quod quidem feminam decet, minus certo forsan ac recto progressu sese explicare quam Strepsiadem. His vero dictis, statim jam meminisse debemus delicatissimam simul et fortissimam mulieris naturam in admirabili illa Lysistrata Aristophanem effinxisse.

Et feminas quidem plurimas in scenam induxit Aristophanes, quarum nulla fere non aliquid venustum habet ac blandissïmum. Quid memorem in *Concione feminarum* Praxagoram illam, audacia simul et ingenio, et venustate conspicuam, quæ Lysistratæ prope similis sit, nisi quid in inventione haberet etiam vividius audaciusque? Et aliæ nonnullæ sunt vel in *Thesmophoriazusis* vel in ipsa *Lysistratæ* comœdia quarum quidem jucundissima mentio fieri potest: quid enim Atheniensi Myrrhina aut Spartana Lampito pulchrius? Jam vero, quis non attica responsa Calonices exquisitumque salem meminit? Quum vero de his omnibus disserere longum sit, neque omnium prorsus illarum ingenia cum pari cura fuerint a poeta explicata, eo libentius sola Lysistrata consideranda contenti erimus quod illa sorores omnes, ut ita dicam, toto vertice supere-

minet, effigiemque nobis præbet longe pulcherrimam.

At enim, dicet aliquis, quid Lysistratæ sermone interdum impudentius ? Quid obscenius tot facetiis quibus inter se feminæ jocari solent ? An vero illud etiam oblivisci nos oportet, plurimis locis ridere Aristophanem illum quem atticis mulieribus imputat vini amorem ? — Quæ quidem omnia et sponte concedere, et omnino detestari non dubitabimus. Cui vero non plane liquidum est unde illa exorta sint ? Reclamavisset populus, qui phallophorias spectatum venisset, nisi jocos aliquando nimium orgiasticos cum decentissimis leporibus miscuisset Aristophanes. Inde illæ facetiæ, a vera prorsus et Lysistratæ et aliarum natura abhorrentes ; quas pudicæ quidem et decenti mulieris imagini, populi causa delectandi, extrinsecus additas haud immerito quis contendat. Hoc poetæ prorsus miserum accidit ut tempori suo aliquid debuerit condonare, nec potuerit, sicut Molerius noster, feminas decentissima nitidas venustate effingere. Cæterum, propter illa quæ omnino externa sunt, intimam tot feminarum naturam aspernari non debemus ; quod vilissima ornamenta eburneæ statuæ addere debuerit Aristophanes lamentari quidem possumus : illis vero statim detractis et avulsis, ad ipsam deæ formam admirandam progredi decet oportetque.

Lysistrata, in Aristophanis comœdia, ducis ali-

cujus partes agit qui magnam diversamque multitudinem ad unum quoddam tendere propositum communique animo quasi conspirare jubet cogitque. « Ecce illa prodit in medium, chorus ait femina- » rum, quæ nos et in consiliis et in ipso agendi » discrimine regit (1). » Quam Lysistratæ laudem tribuit chorus, eamdem et apud Homerum et apud Sophoclem Neoptolemo ipsi datam videmus, quem laudant omnes quod in præliis pariter et in consiliis vel virtute vel prudentia emineret. Hoc sibi proposuit Lysistrata ut plurimas feminas conjuratione quidam communi constringeret. Aliquid igitur Themistoclis aut Periclis in illa inesse necesse est quæ mobile prorsus examen regere ausa fuerit. Quid vero muliebre, quid proprium et singulare in Themistocle hoc nostro inveniemus? Hæc summa poetæ ars fuit ut, diversissimas miscendo virtutes, personam quandam creaverit omni feminarum et venustate et acumine conspicuam.

Ac primum, ut tantæ ducem conjurationis decet, sagax illi animus est, ingeniumque et præsentia perpendere et futura prospicere idoneum. Finem elegit assequendum omni dignum admiratione : ut pax videlicet, per tot annos desueta ideoque magis optabilis, civitatibus græcis reddatur. Quam vero viam, ut id efficeret, invenit, etsi nimia illa morum

(1) Ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος.
V. 706.

libertas de qua supra diximus in hoc quoque apparet, nemo sane illam parum apud Athenienses efficacem fuisse, si quidem Aristophani credimus, arbitretur. Nec satis fuit Lysistratæ et optimum sibi finem statuisse, et efficacissimam elegisse viam propositum exequendi. Firmitate nunc opus est, ne conjuratæ mulieres, in suam quæque imbecillitatem paulatim relapsæ, illam ducis voluntatem irritam faciant inanemque. Vixdum enim facta conjuratione, ecce aliæ aliis rationibus atque causis palam allegatis una recedere cupiunt omnes ducisque vigilantiam eludere. Verum adest ubique Lysistrata, et ingenio perspicaci et voluntate inconcussa omnipotens. Nec precibus ullis commovetur, nec dolis fallitur : hos quidem detegit, illasque aspernatur; donec omnia rursum componat ac restituat. Cæterum sibi tantum in omnibus confisa, cum indefessa diligentia munere suo perfungitur. Sola colloquitur cum omnibus : hortatur mulieres; Atheniensium Spartanorumque legatos et arcessit et alloquitur; optimi ducis instar, non ante quiescit quam omnia et providerit et perfecerit.

Cum vero et acumine ingenii, et voluntate, et diligentia prope virili emineat, non ideo minus exquisitis delicatissimæ naturæ blanditiis insignis est Lysistrata. Non philosophi vel rhetoris, sed feminæ more rationi obsequitur. In illius ingenio nescio quid inest subtile, vividum, argumentorum ambagibus expeditum, ad veritatem capessendam rapido

quodam quasi visu præceps, quod feminam statim prodit ; nec tantum subtilitate judicandi, sed dicendi etiam et sentiendi gratia quadam blandissima illud ingenii acumen illaque sagacitas maxime valent. Quid quod in ipsa illa sagacitate, quæ proprie attinet ad ingenium et rationem, aliquid etiam invenimus quod humanum, quod tenerum, quod misericors videtur. Hoc enim feminæ proprium est ut non tam argumentis quam affectu quodam ad misericordiam inclinato impelli soleat ad agendum. Vera prorsus femina est vel illa Cornelii nostri Paulina, vel illa Racinii Berenice, quæ viro, inania, ut arbitratur, argumenta congerenti, fletibus questibusque respondet. Veritatem statim et adspectu primo, non modo, ut ita dicam, quasi rationi consentaneam agnoscere et intueri, sed ut bonam et optabilem sentire simul et amplecti, hoc vere muliebre est ; hoc, inquam, et in illis Cornelii, Racinii, Molerii mulieribus, et in Lysistrata nostra plane invenimus.

Quod quidem ut appareat, eloquentiam Lysistratæ breviter liceat et considerare et admirari. In illa enim eloquentia omnes simul lepidissimæ mulieris virtutes et blanditiæ ostenduntur.

Procedente nempe in medium Lysistrata, sic aliquando Atheniensis quidam eam alloquitur : « Salve
» o mulierum fortissima ! Nunc tu vicissim et ter-
» ribilis et timida, nunc bona simul, malaque, fe-
» rox simul et venusta nobis debes apparere : arte

» nunc tota tua utere. Nam Græcorum primi, tuis » allecti blandimentis, in hoc convenerunt ut tibi » suas dissensiones componendas remitterent (1). » Nec verò inferior tot tantisque laudibus Lysistratæ videtur eloquentia. Quam profecto, ut ait ille apud Aristophanem Atheniensis, tam eximia diversarum rerum dulcedine conspicuam, tantis præsertim et judicii rectitudine, et ingenii lepore, et affectuum suavitate, et verborum subtilitate excellentem existimo, ut, si quidquam requirere liberet quod cum illa merito posset comparari, non equidem dubitarem vel divinum illum Platonis stylum, qui gratias Aristophanis ore locutas credebat, gratiarum ipse doctissimus antistes, vel Fontanii nostri exquisitam dulcedinem, qui omnium prorsus leporum et magister fuit et exemplar, cum hac Lysistratæ eloquentia componere.

Quid enim, quæso, vehementius una dulciusque, quid omni affectuum et tristitia et suavitate plenius; quid quod vel erigatur ad sublime, vel ad humile dicendi genus facilius descendat, quam egregia illa Lysistratæ cum Atheniensi magistratu disputatio qua narrat illa veteres Atheniensium in agendo bello culpas, timidos mulierum questus bellum

(1) Χαῖρ', ὦ πασῶν ἀνδρειοτάτη · δεῖ δὴ νυνί σε γένεσθαι
Δεινὴν, ἀγαθὴν, φαυλὴν, σεμνῆν, ἀγαθὴν, πολύπειρον,
Ὡς οἱ πρῶτοι τῶν Ἑλλήνων τῇ σῇ ληφθέντες ἴϋγγι
Συνεχώρησαν σοι, καὶ κοινῇ τἀγκλήματα πάντ' ἐπέτρεψαν.
V. 1108-1111.

frustra deprecantium, insanam contra virorum superbiam duraque responsa ad mulieres, et provolutam inde ad extrema omnium periculorum discrimina tristissimasque exercituum cædes universam civitatem? Longum sit prorsus enumerare quam multa in tali dialogo lepida sint et vivida, quomodo familiaris nunc sermo, nunc grandis eloquentia facillime misceantur; quid conferant ad delectandum movendumque et apologi, et affectus, et argumenta, et dicendi varietas incredibilis.

Jam vero, ne diutius in his immoremur, admirabile illius adhortationis exordium, exempli causa, transcribere liceat, quam in fine prope comœdiæ Atheniensibus pariter Spartanisque facit Lysistrata. Quæ præsertim in illa oratione notanda sint ostendere supervacaneum est : nam omnia pariter optima sunt. Civem quemdam Atheniensem alloquitur Lysistrata, qui nuper ipsam rogavit ut veteres hostes tandem conciliaret : « Quod rogas, » ait, facillimum est; « ... Ubinam est pax? Duc ad me Spar-
» tanos; duc vero suaviter, non insolenter, ut
» quondam solebant mariti nostri, heu! nimium
» imperiti. Huc illos cum risu grato adduc, ut fe-
» minas decet... Duc etiam Athenienses, prehen-
» sos qua poteris. — Propius huc venite, Spar-
» tani; vosque, Athenienses, parte hac accedite.
» Me omnes exaudite. Femina tantum sum, recto
» vero sensu prædita : quodque judicium natura
» mihi dederat, id ego sapientibus et patris mei et

» seniorum consiliis auxi quantum potui. Hoc primum vobis peccatum objicere volo, quod quidem vos pariter omnes admisistis : Olympiæ enim, et Thermopylis, et Delphis, et in plurimis aliis locis quos enumerare sane longum est, ante unam eamdemque aram, fratrum instar, communia sacra instauratis. Iidem tamen vos mutua internecione cædimini, et græcas vastatis urbes, dum barbarus vobis assidet, focisque minatur vestris. Hoc primum dicendum erat (1). » Inde conversa nunc ad Athenienses, nunc ad Spartanos, quæ proprie utrique populo objicienda sunt, ex ordine enumerat.

Nec singularem prorsus illam Aristophanis feminarum eloquentiam ac venustatem possum admirari, quin existimem feminarum personas optimas fuisse de rebus civilibus poetæ ipsius interpretes, his præsertim labentis civitatis temporibus quum nihil superesset ex vetere Atheniensium potentia præter inane quoddam simulacrum. In omnibus enim Aristophanis de republica judiciis, quis non videt naturam subesse delicatam simul et vividissimi capacem affectus, nunc ad tristitiam quamdam, nunc ad gaudium pariter aptam, res simul hominesque rapido potius mentis visu et celeri quodam sensu judicantem quam longa ac prudenti omnia perpendendi diligentia, magna prorsus et sublimia

(1) V. 1112-1135.

sentire idoneam, nec minus ad vehementes iras descendere quam ad dulcissimos converti affectus promptam, qualem denique et poetæ, et mulieris, et forsan Atheniensis præsertim poetæ naturam esse decuit. Nihil in Aristophane inest quod non Atheniense, id est subtile simul, et gratia nescio qua decens, et lepidum, et sublime, et perfectum videatur. Nihil in illo Spartanum est, quamvis vel erga Spartanos justum ac moderatum se præbere semper curet. Non, ut Xenophon, totus in Spartanos admirandos æmulandosque effunditur. Veteres Athenienses grandiaque Themistoclis tempora civium admirationi proponit. Cæterum Athenas vel peccantes usque diligit, ac nescio an eo magis patriam dilexisse videatur quo in majorem miseriarum altitudinem per culpas suas se dimitteret. Quis certe non miretur quantum vehemens illa priorum comœdiarum in reprehendenda civitate acrimonia sensim fuerit calamitatibus venientibus mitigata? In hac ipsa *Lysistrata*, cum illa, sicut et postea Praxagora, matrum lamentetur conditionem, quæ filios longe videant abscedere nunquam forsan reversuros, ecce, ingenti statim ac recenti Siciliæ clade animo omnium recursante, « res, precor, » tristissimas, o mulier, ne revoca in mentem nos» tram, » respondet quædam comœdiæ persona (1). Eadem prorsus, in ultimis omnibus Aristophanis

(1) V. 590 : Σίγα, μὴ μνησικακήσῃς. Ita loquitur ὁ πρόβουλος.

comœdiis, vehementissimi lepidissimique poetæ et latens tristitia, et humanitas, et dulcedo nescio qua apparet. Hoc, inquam, in Aristophane maximum est, quod animus illi fuit et humanitatis et patriæ simul capax, nec medio in risu « rerum lacrymas » adspernatus. Hæc denique causa fuit cur Lysistratam illam potuerit effingere, adeo quidem, si penitus perspexeris, et venustam et decentem, ut naturali ejus gratiæ ac pudori ipsa dicendi obscœnitas (hæc enim externa est) nequeat officere, dignaque omnino sit quæ inter illas Molerii ac Racinii feminas reponatur, tam lepidas simul ac sapientes humanasque.

CAPUT QUARTUM.

DE PHILOCLEONE, DEMO ET CLEONE.

Tres nobis personæ considerandæ adhuc supersunt, Philocleon nempe, et Demus, et Cleon.

Eadem in illis depingendis et varietas et similitudo veri prope absoluta invenitur, quam nuper in Strepsiade et Lysistrata notavimus. Si vero judicare decet utri magis emineant, non equidem affirmare dubitaverim aliquid etiam majus et insignius in tribus his personis inesse quam in duabus prioribus. Quid igitur illud est quo a cæteris distinguuntur?

Hac nempe re primum differunt quod in comœdia locum quemdam obtinent adeo præcipuum, ut totum fere opus in his quasi innitatur, et ex ipsa cujusque personæ descriptione illa videatur conclusio provenire quam persequitur Aristophanes. Quid autem hoc rei est? An igitur Aristophanes in Equitibus atque Vespis mores hominum Molerii instar voluit depingere, nec quidquam præterea? Non ita prorsus intelligendum est id quod dicimus. Hoc tantum affirmamus, quod quidem non dubium est,

in Philocleone, et Demo, et Cleone, morum picturam non, ut in Lysistrata vidimus ac Strepsiade, externum quoddam fabulæ ornamentum esse, sed revera plurimum conferre ad ipsam illam demonstrationem perficiendam quam sibi poeta proposuit. Quid enim Aristophanes in Equitibus ac Vespis vult demonstrare? Populum nempe Atheniensem, si dirum illum judicandi furorem respuat, Cleonisque dominationem excutiat, jam ex misero simul ridendoque fore felicissimum. Hoc igitur ut in audientium animos injiceret, in Philocleone ac Demo, tanquam in speculo, vividam hic imaginem Atheniensibus proposuit, qua illos ostenderet, prout Cleoni vel pareant vel contra resistere audeant, miseros beatosve, ridiculosque vel admirandos; in Cleonis vero imagine, omnia illa vitia depinxit quæ talis belluæ dominium et obedientibus turpissimum et resistentibus minime formidandum efficerent. Ita fit igitur ut sublata quidem illa morum pictura, comœdia quoque evanescat, nec tamen dici possit Aristophanes mores tantum sibi proposuisse describendos.

Magnitudinem quoque nescio quam tribus his personis propriam esse diximus qualem vel in duabus illis non videre sit. Cujusquidem rei causa plane jam in promptu est. Quid enim Philocleonem ac Demum esse diximus? Non homo videlicet unus et alter, non judex aliquis aut herus unus inter multos, sed ipsa populi totius similitudo sub illis

nominibus ostenditur. Duo, ut ita dicam, populi Atheniensis præcipuæ species erant : una judicantis, altera disputantis in foro de rebus civilibus; quarum quidem utramque, pictura quadam ingenti expressam, æternitati tradidit Aristophanes. Quid vero Cleon ille est, quem in *Equitibus* effinxit, nisi utriusque simul concionis, et judicantis et deliberantis, terribilis dominator, infanda urbis pestis, et, judice quidem poeta, ex odiosis omnibus demagogis, unus odiosissimus?

Tres igitur illas personas jam singulas sumus consideraturi, et videbimus quomodo in his quoque, licet pulcherrimæ sint, præcipuumque locum in comœdia obtineant, illa tamen Aristophaneæ artis natura, quam sœpe jam definire tentavimus, agnoscatur.

I. — *Philocleon.*

In Philocleone duæ prope naturæ commixtæ sunt et copulatæ, ita vero copulatæ ut una tantum indoles ex duobus quasi elementis efficiatur. Nam in eo et æterna quædam judicis natura, et populi præsertim Atheniensis propria effigies inest. Utrumque igitur intueamur, hoc primum scrutantes quod æternum est omnibusque locis convenit.

Ut enim res profecto maxima est hominem unum cæterorum bona vitamque in manu prope sua habere, omnique reverentia dignus merito videtur

qui tali potentia et sapienter et moderate utitur, ita si quis natura mediocri, animo vulgari prædi-tus, illud munus acceperit, nihil tali homine tur-pius, nihil quod utilius in comicam scenam induci possit. Pravus est igitur judex Philocleon. Quum autem judex ille optimus quem venerantur omnes et justitiæ studiosus, et æquitate quadam sponte ad clementiam inclinata conspicuus, et veritatis ante omnia reperiendæ cupidus, et modestia insi-gnis esse debeat : ille contra ambitione laborat ac superbia, reosque damnat prope inauditos, potius-que observandis consuetudinibus judiciorum quam veritati indagandæ studet, et immodestia magis quam temperantia eminet. Arrogantia, crudelitas, stultitia, libido in illum quasi conveniunt, æter-namque illam pravi judicis effigiem conficiunt quam quidem et Racinius noster in suis *Litigatoribus* rur-sum expressit. Et Dandini quidem figura ita nobis omnibus cognita est ac familiaris ut de illa longius nolim disserere : hoc vero notare satis sit, adeo jam perfectam in suis *Vespis* pravi judicis imaginem effinxisset Aristophanem ut nihil omnino novum lepidissimus imitator addendum censuerit.

Quid justum sit necne, parum curat Philocleon ; nec vero ut talia dijudicaret illam judicandi potes-tatem tanto cum amore amplexus est, sed ut foret ipse omnipotens, cæterosque cives frementes sup-plicesque intueretur, sua lætus majestate, et im-modica inflatus potentia. Quod quidem et impu-

denter et stolide simul Bdelycleoni filio in dialogo illo declarat, quo filius patri demonstrare aggreditur servire Cleoni judices omnes. Igitur, adducto statim reo, potestatem suam ostentandi cupidine, et furia simul nescio qua instinctus quali dicuntur laborare qui visus suos sanguine semel pasci sustinuerunt, ecce dixit jam sententiam reumque damnavit : aliqua enim crimina semper suppeditant, tyrannidis nempe restitutæ vel initæ conjurationis, quibus damnari possit hominum insontissimus. Quod a filio cohibeatur, nec possit in tribunali « quidquam mali facere (1), » vehementer lamentatur. Semel tantum reo pepercit in comœdia, inscius videlicet, postquam felicem calculum pro infausto in urnam demisit ignarus. Erroris autem causa digna est quæ notetur : nimium enim comedendi voluptati indulserat optimus judex, non minus ventri quam tribunali deditus. Cum vero hominem insontem tranquillo animo damnare possit, alia quædam sunt quæ magis curat quam hominis unius vitam. Nempe si defuerint illi cancelli quibus reus a judice solebat intercludi, omnia jam perdita esse dicas et profligata. Sublatis cancellis, lex tollitur et justitia. Pereant sane leges, modo cancelli supersit. En illam pravi judicis naturam agnoscimus, a Racinio quoque illustratam. Si vero

(1) Οὐκ ἐᾷ μ', ἄνδρες, δικάζειν, οὐδὲ δρᾶν οὐδὲν κακόν.
V. 340.

vel ad posteriores comicæ nostræ artis magistros descenderemus, non difficile profecto foret in celeberrimis quoque sequentis sæculi comœdiis aliqua Philocleonis vestigia invenire. Hoc vero nos Aristophani tribuere nunc satis sit quod in suo Philocleone totus jam Racinii Dandinus contineatur.

Sed populi quoque Atheniensis effigies sub nomine Philocleonis depicta est. Hinc illa hominis parca simul et misera vita, qui triobolum mavult judicando mereri quam aut multo plura sibi laborando comparare, aut potius, cum jam dives sit, frui comparatis. Hinc etiam illa quam Bdelycleon vehementer increpat patris stultitia, dominum se et gubernatorem rerum omnium esse arbitrantis, cum revera et Cleoni pareat et ab illo insuper rideatur. Dum judex enim, majore diei parte in Heliæa consumpta, triobolum ægre meretur, sociæ omnes civitates dona pulcherrima in oratores, in demagogos, in Cleonem cæterosque ejusmodi, quos metuunt, certatim conferre properant. Illi vero judicum animos vana verborum ostentatione quocumque libuerit inclinant convertuntque, stolidamque Philocleonis mentem et tristia judicum jejunia inter se rident, cumulati simul pecunia laudibusque.

Ipsum vero Pilocleonis adspectum vultumque depinxit Aristophanes. Choro enim est similis, qui constat ex judicibus. Sordidi incedunt omnes, judicandi cura emaciati, vigilando lassi, Vesparum

tenuitatem simul et malitiam referentes, studiis agitati ardentibus, animo semper inquieto. En igitur quo recidit populus ille Atheniensis, robore quondam invicto florentissimus, seu Persarum pedites in Marathoniis campis profligaret, seu classem apud Salaminam disjiceret ! Studiis tunc grandibus, non judicandi nescio qua libidine flagrabat. Tum præceps quoque ad agendum et rapidus videbatur; sed hostes reipublicæ, non miseros aliquos reos, Cleoni forsan immerito invisos, persequebatur. Noctes vero hastæ innixus vel ramis incumbens, non tribunali quasi affixus, pervigilare consueverat. Illis enim temporibus non triobolum judicando mereri, sed divites Persarum campos occupare græcasque civitates servare gestiebant; non Cleon tunc aliquis, sed Themistocles, et Miltiades, et Aristides summam rerum gubernabant.

Eo tendit omnis comœdia ut populum judicandi quidem libidine miserrimum stultissimumque factum esse, illa vero dempta libidine felicem simul fore appareat. Nec patitur prorsus illa poetæ voluntas Philocleonem sibi ad extremum, ut ait Horatius, constare. Philocleonis igitur illud ingenium tamdiu quidem exponit quamdiu proposito suo convenire arbitratur; cæterum non dubitat idem illud ad novos omnino mores in fine operis convertere, quo vividius ipsa illa mutatione ostendatur novæ hujus vitæ felicitas. Nec vero Philocleonem per

intimum quemdam animi progressum ad novos mores adduxit. Sed filii argumentis, momento citius, illum convinci voluit, adeo verum est id quod supra contendimus, Aristophanem nempe, vel cum personas effingat comicis theatri nostri personis quam maxime similes, aliis plerumque rationibus id facere, aliumque persequi finem. Hic igitur non tam indolis cujusdam unitatem explicare, quam quid ex felici mutatione proveniat utilitatis demonstrare nititur. Non ita repente hominum mores mutari solent. Quæ nobis vere innata indoles est, ea usque permanet, nec nisi diuturnis conatibus flectitur. Si veram igitur rerum naturam, theatri nostri instar, depingere vellet Aristophanes, ultima tota *Vesparum* pars foret resecanda. Quoniam vero non Gallicus poeta, sed Atticus est, nec Menandri aut Molerii artem, sed suam exercet, illam judicandi libidinem tanquam ridiculam aliquam eamdemque sanabilem Atheniensium infirmitatem considerare maluit; quam quidem ut sanaret, non dedignatus est et aliquid ipse operæ conferre, comœdiam scilicet conscribendo qua beatam sanati Philocleonis vitam cum tristi delirantis ejusdem miseria compararet. Inde ille comœdiæ finis, quo Philocleon inducitur meretricibus stipatus, floribus coronatus, vino gravis, omniaque, ut vulgus quidem existimat, beatissimæ vitæ maximeque effusæ lætitiæ signa præ se ferens.

II. — *Demos.*

Eadem in Demi effigie et similitudo veri quod ad mores plerumque attinet, et in fine tamen illius legis oblivio qua se recentiores poetæ, necessitate quadam mutatæ artis, adstrinxerunt, nempe ut personas sibi constantes effingerent. Quod utrumque breviter ostendemus.

Aristophanes populum Atheniensem sub imagine hominis cujusdam depingit qui servos habet, ut quidem ipsi videtur, heri amantissimos, revera autem nihil aliud ex ipso illo servitio quærentes quam quomodo dominum expilent fallantque.

Hominem profecto jam novimus. Multi enim sunt ejusmodi, natura debiles, ingenio hebetiori, obnoxia omnibus ludicra, qui, cum se delusos suspicantur, ad inanes potius iras descendere solent quam delusores constanter punire, et furca, ut ita dicam, expellere. Nec talia profecto, desunt in theatro nostro hominum ingenia. Plurima Molerius in scenam induxit. Hunc pessimo finxit hypocritæ omnino inservientem, nec videntem quibus dolis et ipse et uxor etiam implicetur; illum ostendit litteratæ feminæ dictis obedientem pessimumque filiæ matrimonium invito animo accipientem; alium denique filiam innocentissimam fallacissimæ novercæ posthabentem depingit. Falluntur et deridentur illi omnes, nec videre tamen volunt se derideri, nec

quum vident, a derisoribus liberari, nisi postquam reluctati sunt, sustinent.

Tale igitur Demi, vel, ut latine loquar, *Populi* ingenium est; quód quidem jucundissimis coloribus depinxit Aristophanes.

Jam in scenam primum ingrediens, ut queritur simul et irascitur, ubi servorum procul tumultum inter se disputantium audit! Nihil debili natura irritabilius. « Quis strepitus! Proh Deos! non re- » cedetis a foribus, furciferi! Eheu! ramum olivæ » abripuistis (1)! » Mox, ubi Paphlagonem agnoscit, ira subito evanescente, voce incipit jam mollita : « Quid vero, tene video, mi Paphlago? At » quisnam te male habet? » Vere nempe dixerat in comœdiæ procemio servus Demosthenes : « He- » rum habemus senem, animo rudi, ad iram pro- » num... Huic vero blanditur Paphlago quidam qui » eum, canis instar adulando, falsis blanditiis » illexit, decipit. »

Mox vero, Agoracrito loquente et multa promit-

(1) Τίνες οἱ βοῶντες; οὐκ ἄπιτ' ἀπὸ τῆς θύρας;
Τὴν εἰρεσιώνην μου κατεσπαράξατε.
Τίς, ὦ Παφλάγων, ἀδικεῖ σε.
V. 728-730.

(2) « ... Νῷν γάρ ἐστι δεσπότης
Ἀγροικὸς ὀργὴν, ... ἀκράχολος.
. . . .
... ὑποπεσὼν τὸν δεσπότην
Ἤκαλλ' (ὁ Παφλάγων), ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα... »
V. 40-48.

tente, sensim ad illum convertitur Populi animus. Anceps diu manet siletque. Illum videre prorsus mihi videor qualis in Pnyce, choro quidem auctore, esse consueverat, immotum scilicet ac prope lapideum, oratorum verba hebetiori mente exaudientem, nec quidquam statuere idoneum, nisi Cleo tandem incertum animum dirigeret. Sed Cleonis imperium labat. Multum clamanti Agoracrito sensim confidere incipit senex imbecillus : utque fieri solet in stolidis, quem nuper venerationi quadam insana prosequebatur, eumdem nunc, animo mutato, odio pariter vesano persequitur. Quid pictura illa, si comœdiam tantum respicimus, lepidius ; quid, si ipsam rerum humanarum similitudinem quærimus, verius simul tristiusque esse potest?

Igitur Paphlago, in summum jam adductus periculi discrimen, fædissimis adulationibus Populum urget. Et labefieri quidem iterum jam videtur hujus voluntas; nam quæ falsissima quivis alius statim suspicaretur, ea Populus libenter animo ebibit. Rem vero statim sensit Agoracritus; illoque novas blanditias conferente, tandem Paphlagonem aspernatur Populus, novique famuli beneficiis lætus perfruitur.

Nec mora : jam, exuta senectute, novo juventutis fulgore renidet populus. Dimisso statim Cleone, omnia simul mutantur. Redit libertas voluptasque. Qui nuper imbecillo pariter corpore et animo debilis, domi sedebat inutilis, pristino vigore tandem

renovato, ad nova facinora prosilit indomitus, veteremque et pacis et belli gloriam recuperat. Quem quidem comœdiæ finem non Populi certe natura, sed fabulæ, ut diximus, lex desiderabat. Si nihil aliud quæsivisset poeta quam ut populi mores depingeret, non profecto ostendisset illum, postquam Cleonem Agoracrito, id est malum hominem pejore alio mutavisset, pulchrum repente factum, et juvenem vigentemque. Talem enim fortunam nec meretur nec sibi potest virtutibus suis comparare, qui non tam ab insania ad sapientiam redierit, quam unum quoddam insaniæ genus alio aliquo haud meliore mutaverit. Quum vero non mores præsertim hominum curet depingere, sed cives potius suos vehementi simul et lepida adhortatione ad meliorem vitæ formulam traducere velit, novum nobis in hac comœdia consuetudinis hujus exemplum reliquit quam sæpe jam diximus ab illo servatam, demonstrationis nempe per comœdiam efficiendæ.

III. — *Cleo.*

Ad eam tandem personam venimus quæ totius Aristophanis theatri longe princeps mihi quidem videtur. Illum scilicet Cleonem dico, in quem depingendum omnes affectus, omnem artem, totam denique et pectoris et ingenii vim contulit poeta. Inter universas quidem Molerii personas nescio qua

magnitudine Hypocrita ille eminet, cujus in effigie omnis posteritas ipsam hypocrisim detestata est : nam ea persona ipsam illam ingenuitatem, inconcussum veritatis amorem, inexpiabile mendacii odium in intimo poetæ pectore impressum ostendit detegitque, ex quo cætera quoque ejusdem opera, sive de litteris, sive de moribus, sive de qualibet alia re ageretur, quodammodo prosiluerunt. Haud aliter in illa Paphlagonis sive Cleonis imagine intimos Aristophanis sensus intimamque naturam effulgere vividius existimo. Illam nempe detestandi demagogi descriptionem perlegentes, intelligimus demum quam robusta odia, ut ait Molerianus ille Alcestes, in delicatissimi poetæ animo contra vitia quædam insurrexerint. Philocleonem quidem ac Demum miserescit simul ac ridet ; nam debilis uterque ingenio, et delusus potius quam delusor : Quum vero hominem illum contemplatur cujus detestanda arte ex Marathoniis militibus Philocleones efficiuntur vel Demi, jam ira fervet terribili, ad majusque opus accinctus, belluam audax aggreditur omnibus metuendam quam in pulcherima *Nubium* parabasi tanquam fabulosam quamdam Chimæram et depinxit et insectatus est. Utrum talis revera fuerit Cleo qualem eum effinxit Aristophanes, an contra Cleoni, sicut et Socrati, nonnulla tribuerit ipsi parum convenientia, non hic disserere locus est. Quod certe constat, vivit in magni poetæ comœdia æternis picta coloribus im-

mortalis quædam effigies quam maximo cuique plebis assentatori simillimam esse nemo non dixerit. Illud igitur ut perficeret, nullam neglexit artem Aristophanes. Omnibus modis ac rationibus usus est ut propriam Cleonis naturam ante spectantium oculos sese palam explicare et quasi effulgere cogeret. Non modo enim Agoracritum illum induxit contra Cleonem ipsum disputantem similique mentiendi arte etiam prævalentem, ita ut alterius natura, imagine quadam ampliori quasi duplicata, spectantium animos magis in se converteret : sed ipsam quoque Cleonis personam mira quadam arte effinxit. Ante nobis Cleo cognitus est quam in scenam progrediatur : nam totam illius indolem, vitam, mores, initio statim comœdiæ colloquentes servi exponunt. Magna autem illius exspectatione excitata, ubi apparet spectantibus, ecce primis suis verbis totum se perspiciendum præbet. Mox diversi ejusdem adspectus per reliquam comœdiam explicantur, donec ad finem perventum sit. Quis non, hæc reputans, Molerii quoque artem in Hypocritæ sui indole explicanda artem reminiscatur? Satis jam ab omnibus fuit recantatum quam perite Molerius, primo comœdiæ suæ dialogo, Hypocritam depinxerit, et per duos actus magnam illius fecerit exspectationem, et tertio demum ineunte illum in scenam induxerit, primisque dictis verbis talem apparere voluerit qualis in reliqua deinceps comœdia futurus esset.

Si colloquium primo duorum servorum, Niciæ nempe et Demosthenis, audimus, jam noscere Cleonem incipimus. Queruntur nempe quod servitium natura durum servus quidam Paphlago, recens in favorem domini prosectus, durius etiam effecerit. Hinc Paphlago describitur. Nihil homine scelestius; nihil ad calumniandum promptius. Herum enim penitus novit; seni, canis more, blanditur assidue, illumque fallit. Si quis ex cæteris servis cibum aliquem optimum Populo comparavit, hoc statim Paphlago subripit quod nomine suo offerat. Reliquos vero servos flagello arcet a Domino, quem solum et falsis adulationibus et mendacibus oraculis deludat. Cuncta simul indefessa vigilantia observat : pedem unum Pyli, alterum in foro habet. Agoracritum igitur contra Cleonem promovere statuerunt Nicias et Demosthenes, hominem profecto rudem, sed audacem improbumque. « Omnia » scilicet illa habes, » aiunt, « ex quibus fiat demagogus : vocem nempe terribilem, indolem pessimam, sermonem horridum (1). » Quo vero tempore hæc omnia peraguntur in scena, dormit adhuc, ut Nicias ait, cum maximo simul et fædissimo strepitu Paphlago. Illo igitur nondum in scenam progresso, jam naturam cognoscimus turpis-

(1) Τὰ δ' ἄλλα σοι πρόσεστι δημαγωγικά,
Φωνὴ μιαρά, γέγονας κακῶς, ἀγοραῖος εἶ.
V. 217.

simam, miseram ambitionem, exsolutam libidinem, mentiendi et calumniandi consuetudinem nefandam, socordem ignaviam, nequitiam denique civibus metuendam universis.

Ecce vero clamorem repente edit territus Agoracritus : « Horrendum ! venit Paphlago (1)! » Ipse nempe adest, oculis truculentus, voce terribilis; omnibusque primum circa stupentibus, calumnias statim et convicia de more congerit : « Per majo-
» res omnes Deos ! Væ vobis, qui nimium jam
» tempus contra Populum conjuravistis ! Quid sibi
» vult Chalcidicum istud poculum? Chalcidenses
» nimirum ad rebellandum incitatis! Verum, her-
» cule, peribitis, jugulabimini, hominum scelestis-
» simi (2)! » Jam fugit Agoracritus, dilabuntur Equites, nullaque prorsus jam pugna foret nisi Demosthenes labantes copias vehementer increparet. Excepto Molerii Hypocrita, qui primo statim verbo omnem audientium exspectationem explet, paucissimas equidem personas fore credo, si quis omnes omnium temporum comœdias perlustret,

(1) Οἴμοι κακοδαίμων, ὁ Παφλαγὼν ἐξέρχεται
V. 234.

(2) Οὔ τοι μὰ τοὺς δώδεκα θεοὺς χαιρήσετον,
Ὁτιὴ 'πὶ τῷ δήμῳ ξυνόμνυτον πάλαι.
Τουτὶ τί δρᾷ τὸ Χαλκιδικὸν ποτήριον;
Οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ Χαλκιδέας ἀφίστατον.
Ἀπολεῖσθον, ἀποθανεῖσθον, ὦ μιαρωτάτω.
V. 235-239.

quarum repentinus in scenam ingressus parem admirationem merito movere possit. Illa nempe coram nobis in scena agi reputemus : vocem, oculos, personam totam Cleonis animo nostro fingamus. Quid vividius brevissima illa oratione? Quid quod hominis impudentiam, superbiam, nequitiam paucioribus verbis et clariori quasi imagine exprimat? Talem illum statim cernimus qualem ex prioribus servorum colloquiis vix suspicari audebamus. Singula prorsus ejusdem vitia reliqua comœdia explicabit ; sed tota viri natura, tota effigies animo jam nostro penitus impressa hæret.

Pugna interim progreditur. Nam restiterunt cuncti circa Demosthenem, acriter dimicaturi. Hostiles animos instantemque procellam sensit Paphlago. Omnibus igitur viribus artibusque utendum est, variaque viri natura se jam tota ostendet. Judices primum Heliastas, popularem illum demagogi exercitum, ad se vocat (v. 255). Mox vero, ubi se prope derelictum videt ab omnibus, ut natura ignarus est, ad humiliorem statim sermonem convertitur, choroque blanditur et multa promittit (v. 266-268). Moleriano similis Hypocritæ, vicissim terret terreturque. Quem mordere non potest, sponte lambit, donec mordendi rursus occasionem nanciscatur. Chorus vero immotus manet. Agoracrito igitur ad pugnam quoque procedente et convicia in Cleonem conjiciente, hujus repente indoles innataque ferocitas rursum expergiscitur. Ubi

vocem audit inimici, proprium, ut ita dicam, sermonem agnoscit, pristinumque robur jam recepit (v. 278). Ecce mendacia, et calumniæ, et convicia utrimque volant ac miscentur, telorum instar. Anceps diu certamen est, Cleone tamen sensim recedente, cui non consuetum est tali occurrere adversario. Nec vero jam Cleoni satis est Agoracritum ipsum accusare, et quod majus est, tanquam sacrilegii reum accusare : alia quædam ars Cleonis est, et terribilior, et magis atrox, quæ in hoc nempe consistit ut ipsos adversarii parentes calumniis persequatur. Respondet vero pariter Agoracritus, et ad Hippiæ tempora uterque simul accusationibus mutuis revertitur. Jam fit coram senatu disputatio, simili semper eventu. Eadem quoque coram populo Cleonis fortuna est. Cibum nempe quemdam populo dulcissimum dum apponere parat, ecce donum subripit Agoracritus, sicut et Cleo nuper celebre illud placentum subripuerat quod Demosthenes Pyli confecerat. Dolis ergo suis victus, frustra vociferatur. Nihil jam clamores, nihil oracula jam valent quondam potentissima. Detruditur imperio Paphlago.

Molerii prorsus Hypocritam meminimus auriculam habere rubescentem. At Cleonis non auricula modo, sed tota facies rubescit ; inde illa ferrea vox, et bestiales iræ, et effrenata conviciorum licentia ; ipse se tunc temporis eloquentissimum esse fatetur quum calido thynno et meraco satiatus

est (1). Inter hypocritas sane et demagogos quidam pallidi sunt, et facie tristi insignes. Nec minus forsan illi metuendi sunt, si quis illis dicto obediens sit, et manum suam illorum perfidiæ ac malitiæ commodet. Ideo vero Cleones et Tartufii scenæ aptiores sunt quod in agendo potius quam in meditando vim suam explicant, detestandumque ingenii acumen apud illos cum belluæ prope libidinibus conjungitur.

Varios quidem hujus personæ adspectus jam enumeravimus. Verum dum singula paulatim perlustramus, nos prope fugit ille totius comœdiæ quasi progressus, crescensque semper impendentis discriminis gravitas et desperati Cleonis contra vim fati conatus, lectoris denique semper excitata semperque expleta expectatio. Primum enim coram inimicis Equitibus, deinde coram æquissimo senatu, postremo coram populo ipso, quem semper amicissimum habuit, dimicat pro dominatione Paphlago. Cunctis vero deinceps auxiliis destituitur, populoque tandem deficiente, omnia profecto perdita sunt et profligata.

Hic vero, in ipso, ut fere semper, comœdiæ fine, propriam Aristophanis artem, a Moleriano

(1) ... Ὅστις εὐθὺς
Θύννεια θερμὰ καταφαγὼν κᾆτ' ἐπιπιὼν ἀκράτου
Οἴνου χόα κασαλβάσω τοὺς ἐν Πύλῳ στατηγούς.
V. 353-355.

more dissimilem, rursum agnoscimus. Si Molerii enim *Hypocritam* nobiscum reputaverimus, meminerimus profecto quomodo in ultima operis parte semper adsit Hypocrita, donec insperata pœna effrenatam hominis impudentiam repente tandem præcidat. Non ita vero in Aristophanis comœdia. Victus Cleo statim evanescit, non fruuntur spectatores illius pœna et ignavia; ac ne punitur quidem, nisi quod domini favorem amittit, quem nobis depinxit Aristophanes ut servorum scelestissimum. Quid enim? Etsi Cleonem effecerit maxime vivum verique similem, non tam illum depingere curat quam ostendere mutatam statim, ipsa Paphlagoni clade, Populi conditionem.

Cæterum, quidquid id est, si veram personæ indolem recte exposuimus, non jam nobis demonstrandum est illum Aristophanis Cleonem æternam quamdam pessimi demagogi esse imaginem, qua nihil impudentius, nihil ipsa vitiorum magnitudine mirabilius, nihil denique portentosæ nescio cui belluæ similius possit excogitari.

CONCLUSIO.

Quid ex illis omnibus quæ supra disseruimus colligi possit, nunc brevibus verbis concludendum.

Uno scilicet exemplo quodam, quod plane conspicuum esset, voluimus ostendere quam penitus inter se differrent Aristophanis ac Molerii comœdiæ. Personas igitur considerantes, quæ apud utrumque plurimæ quidem sunt et pari ingenio adornatæ, illas ostendimus omnino dissimilem in utriusque comœdiis locum obtinere, quum hinc in illarum moribus depingendis totum poetæ opus versetur, illinc contra nihil aliud personæ sint quam instrumentum quoddam quo ad finem sibi propositum, ad aliquam nempe demonstrationem efficiendam, perveniat Aristophanes. Hujus personas prope singulas perlustrando, manifestum forsan effecimus illarum mores, etsi interdum cum Moleriana prope diligentia et felicitate depicti esse videantur, nunquam tamen illud quod dicimus proprium veteris comœdiæ signum non ostendere, ut demonstrationi scilicet alicui conficiendæ prosint. Quum

nullam scripserit comœdiam Molerius in qua non omnia moribus depingendis inservirent, Aristophanes contra personas argumento explicando inservire semper voluit. Nec ipsa illa Lysistrata quam adeo mirabilem esse agnovimus tali conditione immunis est, quippe quæ magis ut poetæ propositum illustret, quam ut suum ipsius ostendat ingenium suosque mores, in scenam inducitur.

Nec tamen negabimus ita interdum fabulam a poeta componi ut persona aliqua, etsi non lege ulla necessaria, at libera certe scriptoris voluntate, in ipsa templi quasi cella collocetur, quod quidem in *Nubibus*, et *Vespis*, et *Equitibus* animadvertimus. Illis igitur in comœdiis Aristophanes Strepsiadem et Cleonem et Philocleonem depinxit, non vivido magis et spiranti vultu notabiles quam loco ipso illo quem in fabula obtinent conspicui.

Præterea, in ipsis illis hominum figuris leviter tantum adumbratis quas poeta manu adeo prodiga per tot comœdias quasi sparsit, lepidissimam veri similitudinem, mores paucissimis verbis callide notatos expressosque, imagines denique vix inchoatis lineamentis jam prope animatas non potuimus non admirari.

Omnia denique illa reputantes, si Aristophanem simul Moleriumque, quoniam utriusque mentio sæpe incidit, inter se uno verbo ita comparare libeat ut natura simul amborum clarius appareat, hoc certe (quod ad personas effingendas attinet) inde

colligemus, non tam ingenio, quod quidem in utroque et notandis moribus et animandis personarum figuris pariter videtur aptum fuisse, quam ipsis artis comicæ vicibus mutationibusque inter se discrepuisse. Nec futilem nimis hujus operæ nostræ finem esse arbitrabimur, si hoc erimus consecuti ut illam artis diversitatem exemplis quibusdam diligenter observatis illustraremus.

APPENDIX.

Notula A.

Quod *veterem* interdum, interdum *Aristophaneam* nominaverim illam de qua disserere libuit comœdiam, lectorem mihi velim ignoscere. Non quod nesciam profecto et Crateta et Pherecratem, qui veteris tamen comœdiæ poetis annumerantur, ab æqualium suorum arte non leviter discessisse, et ad novam comœdiam inclinare visos esse; priorem enim dixit Aristoteles (A. P., ch. V). καθόλου λόγους ἢ μύθους in comœdiis tractavisse, et his verbis Pherecrates judicatur apud Anonymum *De Comœdiâ* (P. 15) : ἐζήλωκε τὸν Κράτητα, καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος εὑρετικὸς μύθων. Verum, etsi dubitare forsan possumus utrum singularum personarum mores et ingenia, Menandri aut Molerii instar, depinxerint, an potius (quod quidem ex paucis fragmentis (1) libenter conjiciam) veteris comœdiæ artem disputandique genus a privatorum insectatione ad moralia quædam argumenta transtulerint, hoc certe in dubium adduci nequit, poetas veteris comœdiæ longe plurimos maximosque, præsertim Eupolim Cratinum-

(1) V. Cratetis Θήρια, et Pherecratis Κρατάπαλλον.

que, quos Horatius uno eodemque versu cum Aristophane nominavit, eamdem iniisse viam quam secutus est Aristophanes, ita ut qui hunc perlegerit atque intellexerit non immerito veteris comœdiæ ingenium intellexisse videatur. Nunc vero si quis interroget cur cæterorum quoque fragmenta non perlustraverim, idem fere respondebo quod O. Müllerius in elegantissima græcorum scriptorum historia dixit, comicorum nempe fragmenta, etsi plurimum illi conferant qui antiqua illa tempora ipsorumque poetarum vitam penitus novisse studeat, parum tamen illi conferre qui illorum artem potissimum intueri velit. Unde factum est ut, illis prope neglectis, ad illa potius observanda me converterim quæ ab excellentissimo veteris comœdiæ poeta conscripta sunt et pœne integra ad nos pervenerunt, nec tamen interdum *veteris comœdiæ* nomen scribere dubitaverim ubi *Aristophaneam* potissimum haberem in animo.

Not. B.

Cur Aristophanis fragmentis parum usus fuerim eadem ratio fuit quæ me ab evolvendis Cratini Eupolidisque reliquiis deterruit, nempe quod vix in his ipsis fabulæ argumentum intelligi potest, nedum personæ cujusque mores et ingenium perspiciantur. Quod si tamen anquirere libuerit utrum necne in illis quoque fabulis aliquam demonstrationem exsequi voluerit Aristophanes, eamdem prorsus et in illis perditis et in undecim his quæ supersunt aliquid demonstrandi rationem exstitisse procul dubio nobis apparebit, sive Δαιταλεῖς, et Βαβυλωνίους, et alias illas comœdias considerabimus de quarum argumento perpauca nobis tradiderunt veteres grammatici, seu contra celeberrimum illum Κώκαλον respiciemus,

quem ideo maxime a cœteris ejusdem comœdiis abhorruisse dictitant quod nulla in hoc neque unius hominis insectatio neque propositi cujusquam demonstratio inesse videbatur. De qua quidem comœdia et in certus de Aristophanis vita auctor (§ 20) et Platonius (§ 16) similibus prope verbis dixerunt novæ comœdiæ initium ab illa ortum fuisse, ubi quidem Aristophanes ostenderat φθορὰν καὶ ἀναγνωρισμὸν, καὶ τἄλλα πάντα ἃ ἐζήλωκε Μένανδρος..In hoc certe *Cocalo* (etsi parum scimus quomodo mores et ingenia in hac comœdia notaverit) videtur Aristophanes similior forsan quam ipse Crates Philemoni ac Menandro fuisse. Cæterum, quidquid id est, si quis peculiarem Aristophanis artem considerare singulaque notare voluerit quibus maxime illa insignis est, non is in *Cocalo* quidem potissimum immorari, sed illam fabulam leviter attingere, ac deinde ad majora transcurrere manifesto debebit.

Not. C.

De sycophanta quidem paulo plura dicenda sunt, quum non in *Avibus* modo (ubi nominatur tantum), sed etiam in *Acharnensibus* et in *Pluto* personæ illius mentio aliqua occurrat. In *Acharnensibus* primum, duos sycophantas inducit in scenam Aristophanes; quorum unus quidem vix in scena conspicitur; alter vero, nomine Nicarchus, etsi paucis verbis, jucundissime tamen depingitur, homo brevissimæ prorsus staturæ (μικκός γα μᾶκος οὗτος, ut ait vir Bœotus, v. 909), sed nequitiæ plenus (ἀλλ'ἅπαν κακόν, ibid.), ad accusandum asper, qui nullum non crimen, quamvis ineptum sit, ad perdendum aliquem usurpare non properet (v. 916), donec ab illo ipso quem lacessit vasis instar colligetur et auferatur, aliquo

abjiciendus. In Pluto vero (v. 850-950), longiore etiam dialogo exponitur malefica sycophantæ avaritia, subdolum ingenium, civilis animi mendax ostentatio, proterva in criminibus effingendis audacia. Odiosus uterque est ac ridiculus. Eam sycophantarum effigiem reliquit Aristophanes quæ, etsi totam illorum naturam penitus patefactam non explicet, vivida tamen et lepida videatur.

VIDI AC PER LEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII, Cal. Jun. ann. MDCCCLXXII.

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

PATIN.

TYPIS MANDETUR.

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

INDEX RERUM.